Digitized by Google

5. 3. 387

Digitized by Google

A

5 - 3 -

Digitized by Google

5 . 2 . 337

Digitized by Google

B L 38

DIDYMI

TAVRINENSIS

DE

PRONVNCIATIONE

DIVINI NOMINIS

QVATVOR LITERARVM

CVM

AVCTARIO OBSERVATIONVM

AD

HEBRAICAM

ET COGNATAS LINGVAS

PERTINENTIVM.

PARMAE

TYPIS BODONIANIS

MDCCIC

FLORENTINAE BIBLIOTH.

5. 3. 2. 24

Digitized by Google

DIDYMVS

LECTORI

S.

Libello praefaturus de appellatione vocabuli unius hebraici hebraice penitus doctos primum rogo ut ne pigeat cognoscere blanditusne mihi nequidquam sim quod speravi posse me aliquot novis animadversionibus morem legendi veterem ita vindicare, ut ne minimus quidem supersit locus dubitandi: tum caeteros ne putent me adeo abuti otio, ut sciens in quaestione levi recoquere susceperim recte ab aliis disputata. Controversia nobilis est sive numerum spectes dissentientium, sive au-

Digitized by Google

ctoritatem; et verior sententia, studio longe maiore hactenus oppugnata quam defensa, quosdam habuit in hebraicis literis adeo insignes adversarios, ut quaecumque obiiciant, quamvis futilia, mihi visa sint diligentissime refellenda. Videbam praeterea, quae mihi essent dicenda, pleraque per se cognitu non indigna fore. Quare parcus licet verborum scripsi pro argumento copiose: de quo propterea nihil dicam amplius.

At quum, si voluminis tantum rationem habeas, non ad eam magnitudinem scriptio excreverit, ut prodire sola nihil formidet, bonum factum censeo consuetudini paulisper indulgere proloquendi quidquid libuerit, modo non plane alienum a proposito libri, qui sequatur; atque hic de linguae hebraicae studio ac disciplina carptim quaedam expro-

Digitized by Google

mere, quae hic potissimum arbitrer animadvertenda.

Cuius utilitas sane ingens a multis demonstrata sedulo est, atque in primis a duobus Subalpinis nostris; quorum alter Henricus a Porta Cuneas Ord. Praedic. Taurini denatus pridie idus Iul. a. 1783, *De Linguarum Orientalium ad omne doctrinae genus praestantia* luculentum opus edidit a. 1758 Mediolani; alter a. 1769 Taurini *Disquisitionem* vulgavit *de praecipuis causis ... neglectae ... hebraicarum literarum disciplinae,* qui nunc earum gloria unus Italorum floret, amicus meus eximius Io. Bernardus De Rossi. Itaque mihi satis arbitror fore si monuero exemplis potissimum incendi studia adolescentium, ac sermonibus docti hominis, quem suspiciant. Nemo ullius vel artis vel doctrinae, quam

apprime ipse non calleat, potest utilitatem omnem non dico intelligere, sed suspicari. Ac nulla facile plures quam Hebraica eruditio habet usus, qui nequeant sine ipsa perspici, atque aestimari pro dignitate. De his igitur non est magnopere expetenda subtilis et curiosa quaestio ante sermonis rudimenta: quibus ut percupiant imbui praestantis indolis adolescentuli, saepe audierint satis est, quod nemo doctus infitiabitur, pulchrum, iucundum esse hebraice scire, omninoque necessarium adspiranti ad penitissimam cognitionem originum religionis et historiae.

Sed mature monendi sunt, ubi hae iacent literae, ne cui credant praedicanti difficile nimis ac longum esse linguae tirocinium, ut ea legitur a Iudaeis; neque eius quod primum, id etiam unicum existiment

Digitized by Google

operae pretium non contemnendum, ut fontes liceat adire Veteris Testamenti, verbaque ipsa legere Mosis, Davidis, Salomonis, Isaiae, caeterorum divinae itidem apud Hebraeos auctoritatis. Duabus enim his persuasionibus decepti possunt ad perversam adduci rationem studii hebraici nunquam postea facile corrigendam.

Nam quum scriptio hebraica compositis constet elementis duorum generum, quorum alterum est controversiosum, quod Punctorum nomine venit, hoc omnino negligere quidam instituerunt. Quorum primus Olivarius Bulaeus Vinsobrius *Methodo Hebraica* Vltraiecti excusa a. 1658 א, ה ubique legit *a, e;* ו, י vocales ibi tantummodo facit *u, i,* ubi vocalibus non praeponuntur, consonas בגדכפת numquam adspirat,

Digitized by Google

adspirationes duas ח *h*, ע *hh* scribit, tum ט *th*, ק *ch*. In caeteris nihil novat, nisi quod universe consonis efferendis, ubi absunt אהוי, neque liquida facilem praestat sine vocali pronunciationem, inserit *ă*, quod ita consignatum dignoscatur *fictitium*, atque additum.

Bulaeo notior Franciscus Masclef Canonicus Ambianensis *Grammaticam Hebraicam a Punctis . . . liberam* Parisiis primum edidit a. 1716. Cuius praecipua commenta sunt quod ה et ע vocales facit, illam *é*, hanc *á*, *duplices et longas, quia vehementius adspiratae*, quum אהוי simplices ipsi ac breves vocales sint, ו, י nunquam consonae. Caeteris legendis praecipit, ut *quotiescunque consonans consonantem immediate sequitur in eadem voce, inter utramque suppleatur ea vocalis, quae so-*

Digitized by Google

nat cum priore consonante in illius denominatione artificiali, quae nomen literae vulgo dicitur: ut exempli gratia legas בד *bed*, גן *ghin*, דל *dal*, זר *zar*, טל *tel*, כן *chan*, לב *lab*, מר *mer*, נסך *nousach*, פצל *phetsal*, קרן *kouren*, שתל *ssithal*. Vnde eius omnium literarum poteris cognoscere pronunciationem, atque animadvertere gallice ab eo scribi *ou*, quod deinceps cum Italis scribam *u*.

Simplicior ratio est Gregorii Sharpe, qui concurrentibus consonis ubicumque vocali opus est, inserit *e* breve. Caeterum a pronunciatione Masclefiana discedit literarum וחט יסעפת, quod ו, י ante vocalem consonas esse iubet *v*, *j*, ח *h*, asperum spiritum, non vocalem, ע *o*, ס ξ, פ *p*, ט *th*, ת *t*. De quibus copiose disputat in libro anglice scripto, edito Londini a. 1751. *Two Dissertations .... to*

Digitized by Google

which is added .... a Hebrew Grammar and Lexicon without Points.

Postremus in censum venit P. Bonaventura Giraudeau S. I. cuius *Praxis Linguae Sanctae secundum literas spectatae* prodiit Rupellae a. 1757, ubi anno insequente eiusdem *Abrégé de la Grammaire Hebraïque* etc. Vocales hic easdem habet, quas Masclefius, א *ă*, ה *ĕ*, ו *u*, ח *ē*, י *i*, ע *ā*. Sed צ legit *ps*, ψ, ש *cs*, ξ, et ubi concursus consonarum vocalem postulat, inserit *o*, quod aliter haec vocalis nusquam occurreret. Itaque ipsi, ut Masclefio, יהוה quadrisyllabum est ιεουε, quod Bulaeo et Sharpio disyllabum *jeve*, et יעשה רצונך, *fiat voluntas tua*, Giraudotio *iâxe ropsunoc*, Sharpio *jose rĕtsunĕk*, Masclefio *iásse retsunuch*, Bulaeo est *ihhshe rātsunāc*.

At si a pronunciatione discedas, eorum methodi, quamquam praeceptis diversae, eodem recidunt, iisdem incommodis laborant. Quae gravia adeo ac manifesta sunt, ut ubi linguae Orientales magistrorum copia ac doctrina, scriptis eruditorum, scholisque discentium frequentibus celebrantur ac florent, ibi ab his methodis periculum nullum sit. Neque enim ubi quotannis complures prodeunt intonsa adhuc lanugine obducti malas non hebraicis modo literis cum omni instrumento Punctorum, sed Chaldaicis, Rabbinicis, Syriacis, Arabicis imbuti, quum tamen interea neque Latinas neque Graecas neglexerint, neque artes plerasque et praecipuas aliquot disciplinas ex iis, quae in academiis tradi solent, ibi locus ullus est calumniae de rudimenti hebraici difficultate:

Digitized by Google

cuius utilitatem ibi mature quisque sentit ad intellectum et iudicium pertinere lucubrationum etiam recentissimarum, quin et disputationum, quae in sermones veniant hominum hebraice doctorum.

At sicubi rite his initiati sacris habitant *vel duo, vel . . . nemo,* ibi si quis in hominem forte incidit, qui Iudaeos ferat additamento Punctorum infinitis nugis ac tricis, quasi sentibus, obsaepsisse aditum ad veterem gentis linguam; eorum addiscendis commentis ineptis, vanis, inutilibus studia aggredientium ad eam vulgo restingui; ad quam, his omissis, Masclefio duce aut Giraudotio, breve iter sit, planum, expeditum, profecto verendum est ne illiciatur, plenusque spei cum alterutro suscipiat viam. Atque ea multa legens, quibus illi suam uterque rationem

Digitized by Google

probare obnixe contendunt, iudex controversiarum constitutus, quae ortae a temeritate eruditionis, non dicam exiguae, sed aliqua parte plane deficientis, tolluntur pleraeque uberiore doctrina literarum Orientalium, harum inscitia, mente quamvis bona cavere non poterit quin aliquot fallaciis implicatus, ipse iam nihil dubitans fortunam sibi gratuletur suam, quod sua quidem persuasione recte adeo instituerit in studio versari, in quo imprudens praepostere adorietur omnia. Quod enim longe difficillimum ac summum, ideoque ultimum est in omni facultate grammatica, iudicium in delectu lectionum, eaque tractatio librorum veterum, quae vocatur critica, ad hanc necessario confestim protruditur tirocinium linguae hebraeae sine Punctis ea passim dubietate in-

terpretandi, quae aliis nisi diverse legentibus nulla sit.

Interim cito ille quidem sentiet multa se prorsus ignorare, quae pertineant ad hebraicam doctrinam: neque tamen illico poenitebit methodi; quippe instructum inde ab initio solertissime ad ea omnia spernenda, quae per ipsam nunquam sit intellecturus. Suscipiendus nimirum persuasione suorum doctorum unus est solis antiquus literis textus sacri Codicis. Quidquid praeterea hebraicum dixeris, licet referre ad sequioris aevi Iudaeorum inscitiam, stultitiam, superstitionem, fraudem, vanitatem. Neque est difficile a libris non modo verporum universe, quibus temere nihil profecto credendum est, sed Christianorum etiam, quicumque hebraica doctrina maxime praestiterunt, studia avertere no-

vitiorum, apud quos vel infensissimum Iudaeis magistris, tamquam ipsis tamen adhuc incaute, stolide, turpiter obnoxium licet traducere. Itaque nihil legent, unde crebris, multiplicibus, egregiis speciminibus excitentur ad suspicandum quot, quantisque sua methodo careant commodis non ad tractationem Veteris modo Foederis, sed in primis Novi, tum Christianae Theologiae, ac vel maxime Philologiae, quin et Poëtices, tum veteris Geographiae, omnisque Hebraeorum antiquitatis aliarumque gentium priscarum; adde Synagogae ad hoc aevum historiam, atque omnigenae hebraicae literaturae etiam apud Christianos; adde quae multa *ad hominem* vocantur argumenta in religionis controversia cum Iudaeis, eorumque refellendas calumnias et cavillationes;

Digitized by Google

adde ipsorum sive Philosophiam, sive Theosophiam, cognataeque eius Gnosticae origines atque interpretamenta: neque tamen omnia commemoraveris, quae saepe hominem desiderent vulgari hebraismo cum Punctis initiatum.

At eo qui imbuitur, inquient, erroribus multis imbuitur hominum ineptissimorum. Poterit totidem fortasse, quot qui Masclefio omnia credet, aut Giraudotio. At opus minime est: et me sane auctore ne unam profecto ad vulgare tirocinium suscipiet opinionem falsam, immo ne incertam quidem. Praemonitum enim tironem volo, quum duplex cognitio sit omnis grammaticae, prior, quae in perceptione, memoria, exercitatione consistit, posterior, quae in iudicii facultate, hanc, quae critica vocatur, non esse tironis, neque si-

bi adhuc attentandam, illam, quae historica dici potest, notare quidem interdum quid antiquum feratur, quid recens, nequaquam tamen data opera disceptare, cuius quidque revera sit aevi; quum praecipere satis habeat quaecumque potissimum conducere videantur usui linguae, qui vel maxime vigeat modo, vel saltem supersit: hanc vero optimam esse institutionem etiam ad cognitionem criticam, si quamdiu oportet, in historica volentes prudentesque contineamus nos, memores rationis, quae prohibet, quum aliquid eiusmodi primum legimus, quod aliter, atque aliter esse possit, ne quid amplius nos tenere statuamus, quam id a scriptore perhiberi, quem versamus. Oportet igitur accedentem ad linguae disciplinam id modo initio satagere, ut certum habeat quid

is doceat, quem sibi optimum confidit praeceptorem fore, non vero etiam credere eum falli numquam; quumque a Lexico verborum significationem petit, novisse multas quidem posse Lexicis inesse interpretationes falsas, dubias, deesse veras, nihil tamen adhuc se posse melius facere, quam iis uti. Quo instituto, quum non adhuc se de rerum veritate, quas discit, certum putet, nullum imbibet errorem a quacumque disciplina. Interim si ea non usquequaque mala est, si ipse ab ignavia omni abest, qua multi accurate cognoscere sententias aliorum negligunt, temere contemnentes; eam sibi copiam sensim, id instrumentum comparabit notitiarum, eam intelligendi facultatem, eamque assuetudinem animadvertendi, ut iam conari aliquid in critica ipse valeat;

Digitized by Google

ac deinceps experrecto animo diu multumque totus in eam curam incumbens ut nihil non certa ratione disquisitum et perpensum habeat, poterit tandem revera partim scire, partim probabiliter suspicari, quid omnino sinceri veteris hebraismi vel servatum hactenus sit, vel restitutum.

Qui si fructus hebraici studii serotinus est, eius ne quemquam propterea pigeat, dum is expectatur, alii identidem ab ipso studii eius initio, hique uberrimi percipiuntur ab iis certe, quorum tirocinium non procul abierit a vetere via atque ratione, quam tenent adhuc plerique omnes. Vno enim huiusmodi tirocinio aditus patet ad recte ubique penitus intelligendas lucubrationes doctissimorum hominum, qui tribus his maxime seculis praeclare profe-

Digitized by Google

cto ac luculenter illustrarunt hebraicas et literas et res. Quorum libris statim atque intelligenter ac tuto uti quisquam poterit, quam dedit operam elementis cognoscendis, bene se collocasse vel ultra spem quotidie comperiet, sive ille voluptatem, sive laudem, sive fructum spectet eruditionis.

Quod si saepe legens, quae post Maimonidem eiusque gregales, nostrates Steuchus, Caninius (1), alii-

(1) Angelus Caninius Anglarensis (ab Anglario in finibus Etruriae prope Burgum S.ti Sepulcri) qui primus Chaldaismum instituit defaecare, a. 1554 Parisiis edens *Institutiones Linguae Syriacae, Assyriacae, atque Thalmudicae una cum Aethiopicae atque Arabicae collatione*, de linguis, earumque dialectis in praefatione ait: *Hebraea Syriacam, Arabicam, atque Aethiopicam complectitur, quae magis literarum figuris quam reipsa discrepant*. Verba Maimonidae habes in Bibliotheca Arab. Hispan. I. p. 292. اما اللغة العربية والعبرانية فقد انفق

Digitized by Google

que multi monuerunt de cognatione hebraicae linguae cum Syriaca, Arabica, aliisque aliquot, quae quasi totidem dialecti sunt atque propagines unius primaevae, harum aliquo studio incensus eo perveniet ut cognationem istam suis ipse oculis, sua animadversione, quod non nimis arduum est, perspiciat, teneat, tunc enimvero pervidebit quam fallax ratio sit eorum omnium, qui Masorethas quos vocant, non aliquot dumtaxat locis, paucis, multis

---

كل من علم اللغتين انهما لغة واحدة
بلا شك وكذلك السريانية قريبة منهما
Sine dubio lingua Arabica et Hebraica omnium consensu, qui utramque norint, una atque eadem lingua sunt, ac similiter Syriaca utrique proxima. Recte; potissimum quod attinet ad origines ac formas; nam, ne quid dissimulem, usum si spectes, tritissima plurima Hebraeis atque Arabibus plane alia sunt, quo magis multo differunt quam Graecae dialecti.

Digitized by Google

aspernantur in lectione librorum divinorum, sed universe omnino deserunt in grammatica disciplina sermonis hebraei.

Homines, qui vocem nullam norunt nisi suorum civium, sumtis eorumdem ab ore sonis, quos per coniecturam tribuunt graecis literis, quum has a Phoenicia illatas in Graeciam legerint, Phoenicum autem literas easdem fuisse ac priscas Hebraeorum, nihil dubitant quin idem fere singularum usus apud Hebraeos olim fuerit, eadem pronunciatio, qua ipsi proferunt Graecas. At longe aliter qui linguas non a commentis novantium, sed ab usu discunt gentium, quae servaverint, quae loquantur. Hi norunt quam vana sit omnis divinatio de sonis verborum sermonis alius ab eo, unde sumas argumenta.

Digitized by Google

Proderit autem vel ab initio adhibita subtilitas disciplinae in discrimine elementorum, ne confusione perpetua ludificemur elementorum vocis cum elementis scripturae. Literae, γραμματα, sunt scriptionis; quae foret optima, si literae totidem unum idemque singulae semper elementum vocis consignarent. Sed nulla gens est, cuius scriptio adeo simplex sit, atque absolute exacta ad pronunciationem. Nostra Italorum laudanda admodum est, si cum Gallica, magisque multo si cum Anglica comparetur. At si elementa ipsi nostra scriptionis vocisque contendimus singillatim, iamdiu multa sunt animadversa non convenire; ut quod H nobis elementum tantummodo scriptionis est, non vocis, C et G non idem ante E et I, quod ante A, O, U; GL aliud in *egli*, aliud in *negligen-*

Digitized by Google

za, GN iunctim non significat duo eadem elementa vocis, quae G et N disiunctim, literae E, O, S, Z gemina pronunciatione gaudent singulae, inutiliter Q idem passim notat quod C in *cuore*. Quare non defuerunt Italiae, qui veriorem instituerent orthographiam, in primis Io. Georgius Trissinus, et longe omnium accuratissimus Nerius Dortelata (1). Frustra tamen; quia plerique satis recte se scribere arbitrantur quum quae scribunt, leguntur optime ab iis, qui linguam callent; eorum, qui parum sciant, nullam habent rationem, nihilque laborant de alienige-

(1) Vide Trissini epistolam ad Clementem VII. editam Romae a. 1523, tum dubia in fine Dialogi *Il Castellano* post Poëticam, Vicentiae a. 1529, et *La Italia Liberata*, Romae a. 1547. Nerii autem, quae praefatus est a. 1544 Florentiae, edens *Marsilio Ficino sopra lo Amore o ver Convito di Platone*.

Digitized by Google

nis, ne usquam in lectione impingant, queri umquam possint de incerta consignatione vocis.

Atque etiam si recepta usu foret orthographia Dortelatae, non tamen exemplum exstitisset scriptionis perfectae; quia praestat illa quidem pronunciationem ubique certam, at non elementis ubique simplicibus, quae constantes unius soni sint notae, totidem omnino, quot elementis componitur Etrusca pronunciatio. Id obtineri non poterat nisi recedendo multo longius a scriptura usitata. Malum gravius erat ab origine, quam ut leni posset depelli funditus medicina. Scilicet initio non est praestitum, quod erat profecto difficillimum, ut loquela resolveretur in partes quasque suas minimas, planeque simplices, quae vocis elementa erant singula singulis literis

significanda. Satis tamen invento contentus esse debuit, quicumque reperit, aut expolivit, statim atque eo perducta scribendi ratio est, ut inventi compotes ac linguae eiusdem, quod scriptum esset, facile intelligerent.

Postquam vero apud gentem aliquam celebrari scriptura coepta est, facile sane poterat subire aliquem cogitatio traducendi inventum ad gentem aliam. Ast ea non poterat traductio fieri, quin multae literae novam susciperent significationem, atque usum: quandoquidem linguae diversae non constant elementis vocis iisdem omnibus, sed communia quum habeant plura duae quaclibet, earum utraque habet etiam sibi peculiaria, quibus careat altera. Quod comperiet quicumque voluerit experiri, modo pronunciationem ali-

cuius alius gentis recte noverit, quam studeat consignare accurate patria scriptione, ut a suis civibus legatur recte. Ac videmus in iis ipsis linguis, quas novimus sororia similitudine proximas, Itala, Hispana, Lusitana, quum literas peraeque simpliciter sumserint a matre Latina, non modo nihilominus habere singulas aliquem privum sonum, ut quo inchoant nomen Iesu, sed communes haud paucos notare aliter, ut quos memoravi a nobis scribi *gl*, *gn*, et scribuntur ab Hispanis *ll*, *ñ*, a Lusitanis *lh*, *nh*, quique auditur ubi utrique scribunt *cha*, nos *cia*, et quae plura piget explicare, quum sit satis animadvertisse scripturas linguarum, quae maxime omnium conveniant inter se, discrepare tamen in multis, ut ne putemus in summa discrepantia sermonum literas Phoe-

nicias a Cadmo, sive ab alio quovis primum statim adhibitas ad graecam scriptionem eadem omnino ratione singulas ac vi, qua Phoenices usurpabant.

Memoriae proditum est primitus graece scriptum literis tantum sexdecim, quas cum Bouhierio (1) putaverim

Α Β Γ Δ Ε Η Ι Κ Λ Μ Ν Ο Π Ρ Σ Τ;

unde sunt Latinae

A B C D E H I K L M N O P R S T.

Hebraeas qui conferat

א ב ג ד ה ח י כ ל מ נ ע פ ר ש ת,

habebit reliquas וזטסצק. Additis postea Ζ Θ Υ Φ Χ, Atticae literae exstiterunt viginti praeter H asperum adhuc spiritum, non longam vocalem; quum iam Ionica scriptio H di-

(1) V. ad calcem Palaeographiae Ber. Monfauconii I. B. *De priscis Graecorum ac Latinorum literis* p. 564, 566.

Digitized by Google

midiatâ spiritus, integrâ vero notaret longum *e*, haberetque praeterea Ω, duplicesque Ξ, Ψ, pro quibus Atticae inscriptiones (1) habent ΧΣ, ΦΣ. Additarum autem duae Ζ, Θ, et digamma Aeolicum, idem, quod Latina litera F, atque item Q, quin V et Y videntur et ipsae a Phoeniciis ortae, quae sunt Hebraeis ו, ז, ט, ק. Haec novisse profecto Philologum decet. At sani critici non est his abuti ad pervertendam literaturam Orientis, ex qua contra sunt

(1) V. *Dissertation sur une ancienne Inscription Grecque relative aux finances des Atheniens* par M. l'Abbé Barthelemy à Paris 1792. Inscriptio est anni ante Christum 410, nihilque dubii relinquit, nisi quod locum in ea non invenit Z. Sed haec litera eâdem forma Ꮖ, qua in marmore vetustissimo Cyziceno, habetur in marmore Attico Nointeliano anni ante Christum circiter 457, de quo Monfaucon Palaeogr. pag. 133–140, qui de Cyziceno p. 141, et 144.

Digitized by Google

illustranda; quod quatenus nostra nunc interest, conabor breviter.

Ac primum ad figuram quod pertinet literarum, quum laudantur Samaritanae, ut vetustissimae atque adhibitae ab ipso Mose, quaerendum hae quae sint definite. Neque enim exiguum discrimen formarum est vel in editis; et quum plerique typos, queis Morinus a. 1632 dedit Pentateuchum in Polyglottis Parisiensibus, vel ipsos, vel ab ipsis ductos imitentur, longe a formis discedunt, quarum inchoavit usum a. 1598 Ios. Scaliger *De emendatione Temporum*, quem secuti typographi Belgae; et neutrarum similes formae sunt Samaritanae Romanis praelis et Patavino. Ac videntur hae perinde atque illae negligendae, ut potiores habeantur formae, quae in numis cernuntur Hasmonaeorum. Quam-

quam enim hae nullo iure vocentur Samaritanae, non est de vocabulo dimicandum. Itaque ad numos me confero, quorum ectypa affabre expressa caelo plura quam alius quisquam edidit eruditus in primis atque elegans Hispanus Franciscus Perezius Bayerius *De Numis Hebraeo-Samaritanis*, Valentiae Edetanorum a. 1781. Is autumat omnium antiquissimos, qui usquam exstent monetae Iudaicae, eos, qui ad Simonem pertinent filium Mathathiae, suntque percussi ante Christum annis circiter 140, uno aut altero plus aut minus. Hos contemplor singulos, et passim comperio unius eiusdemque literae multiplices figuras: quod vel uno obtutu videre licet in tabula, qua dat Bayerus *Alphabetum* pag. 224; quamquam ea quum habeat sex א, totidem ו, quinque י, to-

Digitized by Google

tidemque נ, ac ע, etc. non tamen omnem exhibet varietatem, quae in eius ectypis numorum cernitur. Nam vel statim qui sub titulo frontem libri ornat, tum primus caeterorum pag. 65 eiusmodi habent א, ו, י, cuiusmodi in *Alphabeto* non apparent. Neque vero dissimilitudo omnis exigua est: quin interdum mirifica, ut cui copia non est Bayeri, cognoscet ex tabula, quam in fine huius praefationis dabo. Interea quod volo, hoc est. Quae scriptio in paucis admodum verbis in monetaria unius principis officina quadriennio sculptis ingenti varietate formarum consignat easdem literas, ea iam tum procul dubio haud parum a primigenia deflexerat.

Innumeris enim potest exemplis demonstrari divergium formarum unius literae pedetentim lento pro-

Digitized by Google

greſsu fieri, dum a figura prototypa ad alias atque alias fit gradatim tranſitus. Ita ab A ad a deventum est, atque ad *a;* neque vero quae minus discrepant inter se b, *b*, ideo ſimiliores sunt prototypae B. Atque utinam Palaeographia gentium Euphrati propiorum satis illustrata iam foret, perinde ac Graeca est; et quemadmodum omne genus nostrae scriptionis, ac populorum, qui eadem nobiscum utuntur, ita Hebraicae atque affinium universa varietas apte disposita cerneretur in tabulis (1). Intuitu ipso pateret, quod miror non iam philologis omnibus esse certiſsimum; nimirum Iudaicas literas, Aramaeas, Samaritanas, Phoenicias alias-

(1) Lectorem desidero, qui tabulas aliquando contemplatus sit eiusmodi, quales dedit sane luculentas Dom de Vaines *Dictionnaire raisonné Diplomatique* à Paris 1774.

Digitized by Google

que multas unius eiusdemque primitivi Alphabeti esse propaginem: posse a literae cuiusque nomine coniecturas eruditas, easdemque non inelegantes fieri de figura primitiva, et coniectorem fortasse aliquando proditurum feliciorem viro doctissimo Iacobo Rhenferdio, haud sane inepto in dissertatione *de antiquitate literarum Iudaicarum* (1), at incertissimam nihilominus futuram semper huiusmodi divinationem: potuis-

(1) Specimen eius rationis habet Io. Simonis *Introductio Gram. Critica in Linguam Hebr.* Halae Magdeb. 1753 pag. 60-66. Caeterum qui cognoscere accuratius causam velit, conferat Sebaldi Ravii *Exercitationes Philol. ad Car. Franc. Hubigantii Prolegomena*. Lugduni Batav. 1785 p. 112-129; nec omittat animadvertere a fine regni Iudaici IV. Reg. xxv. ad reditum Zorobabelis annos intercessisse tantum quinquaginta duos. Tum floruisse Aggaeum, Zachariam etc. Venisse deinde Esdram annis post Zorobabelem circiter septuaginta.

Digitized by Google

se Esdram, etsi non a veloci manu, sed a flagrante studio Legis et a doctrina, quam haberet in promptu, nuncupatum סופר מהיר (Esdr. VII. 6) etiam pingendarum literarum dexteritate, forsitan quum simpliciores ductus adhiberet, atque expeditiores quam solerent alii, exstitisse scribam celerem, auctoremque laudari scriptionis Iudaicae כתב מרבע, ut Arabicae نسخي fertur auctor Abu Alì Mohammed ebn Mocla: nihil etiam esse cur nolimus ab illo scripturam usurpatam Assyriae אשורית, quam Phoeniciae propiorem: nihilo tamen secius omnem de Iudaicis ac Samaritanis literis concertationem esse inanem, perinde ac si quis litem intenderet typographis, quod formas novaverint mutantes Gotthicas his simplicioribus, quas vocant Romanas.

Digitized by Google

Qui primus literas invenit, idem profecto coepit vel invitus variare figuras aliquantisper; quumque non idem exemplar caeteris omnibus traderet, iam inde initum necessario divergium est formarum, principio quidem vix animadvertendum, sed iamdiu ante Esdram multiplex infinitis quasi flexibus, interdum dissimillimis: cuius aevo non est dubitandum quin conspicua iamdudum exsisteret differentia scripturae unius gentis atque alterius, quotquot eamdem primitus ad suam dialectum adhibuerant Hebraei, Phoenices, Syri, Assyrii, Chaldaei, Arabes; nam hos etiam ut priscarum participes literarum fateamur, cogunt Iobi aliquot voces. Ac verisimiliter Mosis manus ad Arabicam eius aevi scripturam propius quam ad Phoeniciam acce-

Digitized by Google

debat (1). Sed haec omnia nullis conspicua monumentis praestat omittere, ut in reliquiis consistamus antiquitatis, quibus apparet sub Hadriano Iudaeos adhuc iisdem literis numos percussisse, quibus Hasmonaei (2), quum tamen credibile non sit Christo inter mortales versante

(1) Moses ante fugam aliquoties tantum suos visens, Exod. II. 11, 13; etiamsi ponamus hos iam habuisse literas, vix tamen alias potuit discere, quam Aegyptias, non perinde accommodatas scriptioni sermonis hebraei plane diversi ab Aegyptiaco. Gener postea sacerdotis Madianitarum, quem scripturam novisse credibile est eamdem, quam Iobus, hanc in summo otio quadraginta annis facile adscivit, aptissimam etiam dialecto Hebraicae, cui adhuc multo propior, quam nunc, erat Arabica, praesertim Abramidarum. Ac sunt viri doctissimi, qui tunc putent ab eo conscriptum librum Iobi.

(2) V. epistolam Barthelemii in Diario Gallico *Journal des Savans May* 1790 in 4.° p. 275, ubi quatuor memorat numos percussos literis Iudaeo-samaritanis super aera monetae Traiani.

Digitized by Google

nondum adhibitas in Lege scribenda literas, quarum minima esset *jodh* (1). Et inscriptiones etiam Palmyrenae, quarum una est anni Christiani 49, expediendam controversiam ostendunt animadversa multitudine formarum; quum caeteroqui nulla sit ratio cur parum verisimile habeatur ante bis mille annos coeptum alicubi, quod ubique nunc obtinet, ut eiusdem linguae ac loci homines alio alias, ut ita loquar, charactere scribant aliquid, aut edant.

---

(1) Iuverit ad Matth. V. 18 Magistrorum voces conferre, de quibus Lightfootus et Schoettgenius in *Horis Hebr.*, unde apparet esse κεραίας apices exstantes in angulo literarum ב, ד, etc. non coronulas תגים, quae quum nihil ad significationem conferant, etiamsi demus iam tunc adhibitas in sacris voluminibus, non erant a D. I. memorandae, ubi se venisse profitetur, ut adimpleret quidquid in Lege scriptum erat. Miror L. Capellum potuisse ad hanc ineptiam delabi.

Digitized by Google

Quod innumeris potest, uno explicetur exemplo. Francica scriptura decimo sexto ac proxime superioribus seculis oppido dissimilis erat nostrae, nunc eadem fere. Iamdiu tamen iisdem formis in Gallia atque apud nos libri excudebantur, quum a. 1558 Lugduni Robertus Granjon primus ac forsan etiam solus Gallicis characteribus cusis edidit Philippi Galtheri Alexandreida, nitidis profecto atque elegantibus typis, quos tamen extemplo cursim legere nunc Latine docti plerique, etiam Galli nequeant. Vt Granjono visum est scripturam usurpare typographis insolitam, ita Machabaeo Simoni visum in numis cudendis formas non exprimere literarum vulgo usitatas a scribis Iudaeis, sed quas facilius legerent gentes finitimae origine Phoenices. At quemadmodum Granjoni

Digitized by Google

literae deformationes sunt earumdem, quarum Aldinae ac Romanae, ita numorum Hasmonaeae earumdem ac Iudaicae sacri Codicis.

Multa memoravi, quorum intellectus ac iudicium opem aliquam poscit figurarum, de quibus dicam breviter ante ipsarum tabellam huic subdendam praefationi. Nunc ut quod erat quaestionis propositum colligamus, patet eo, quod Graecae literae a Phoeniciis dextrorsum conversis ortae sunt, ac Phoeniciae ab iisdem primitivis atque Hebraeae, originem quidem unam eamdemque omnium agnosci; at de similitudine formarum, si quis Graecas vetustissimas fingat conversas iterum sinistrorsum, quam proxime ita referant Hebraeas, quibus Moses, vel quibus David, vel quibus scripserit Isaias, nihil omnino nisi prorsus temere dici posse.

Quod vero ad usum pertinet atque sonum, ut a rebus proficiscamur ab opinionis arbitrio seiunctis, linguam principio spectemus Arabicam. Ea literis consignat elementa vocis pleraque rationis plane eiusdem ac sunt consonae apud nos. Sed aliud etiam literis designat elementorum genus, cuius unum H Latini olim noverant, nunc vero genus id totum est plerisque Italis ignorabile; quandoquidem uno eodemque semper leni spiritu unamquamque sine consonis emittimus vocem. At Arabes, Syri, Aethiopes, aliique haud pauci ore aliter atque aliter conformato, per fauces plus minusque hiantes, maiorem, minorem aëris proferentes vim a gutture, multiplices pellendi halitus ad vocis prolationem habent modos, qui diversi adeo ad aures accidunt adsuetas, ut longe

maius Arabi aut Syro videatur soni discrimen inter quascumque de suis gutturalibus, quam inter *p* nostrum et *b*. Quare sua quemque litera notant singulos anhelandae vocis modos, eum etiam lenissimum, qui nobis unicus, inutili signo caret optime apud nos. At Arabes e. g. quum patrem, matrem, filium appellantes eo leni spiritu incipiunt vocem, quo Italus proferet *ab*^{on}, *omm*^{on}, *ibn*^{on}, tria haec nomina una eademque litera ordiuntur scribere أب , أم , أبن . Ac Syri vel quum vocales appellant *Abhrohòm, Escià-jo, Ishhòk, Odhòm, Urîjo,* quinque nomina auspicantur, ut eodem leni spiritu, ita eadem litera *olaph*. Cuius vis item planissime cernitur in litera, quae decimatertia est Alphabeti Aethiopum.

Quod si nunc quidem certe apud Arabes, Syros. Aethiopes א. quum

Digitized by Google

profertur, nam saepe silet, de quo postea, sed quum profertur, modus est spirandi ad inchoandam vocalem quamvis nostram, quî minus idem certum habeatur in lingua Hebraea, quum non modo Iudaei testentur, sed ipsa analogia totius linguae, eiusque contentio cum Arabica et Syriaca id ostendant luce clarius meridiana? Putabimusne verisimilius tot gentes religione exosas invicem, partim longinquas adeo sedibus, quippe diffusas tota fere Asia ad ortum solis, ad occasum vero quam longa est Africa, una omnes eademque ratione elementa sermonis quamque sui mutasse quasi ex composito, idne verisimilius quam unum hominem, qui scripturam Phoeniciam Graecis dictionibus applicare suscepisset, aliquot literas non ea significatione adhibuisse, qua He-

Digitized by Google

braei, sed alia, quamcumque Graeca lingua magis poscere videretur?

Sed hoc fallit plerosque, quod non intelligunt quî magis Graecis quam Hebraeis opus esset nota elementi vocis A. Quod profecto nequit intelligi nisi causa universe explicata, cur potuerint Hebraei negligere vocales, Salomon exempli gratia quum scribebat Prov. IV. 23 מכל משמר נצר לבך *Omni custodia serva cor tuum*. Nam ad prolationem certum est peraeque omnibus linguis vocales aliquot esse necessarias: at in hoc omnis est error, quod propterea peraeque necessariae linguis omnibus eaedem censeantur in scriptione quumque non desint, qui quasdam Hebraicas literas contendant esse vocales, alio trahitur concertatio, nimirum ad controversiam de hac aut illa litera singillatim.

Digitized by Google

Quod ne fiat, animadvertendum est magnam partem sermonis Hebraei carere omnibus iis literis, quae vocales censeri ab ullo bipede possint, adeoque nihil pertinere, quae de quibusdam literis disputantur, ad quaestionem de vocalibus necessariis ad prolationem, omissis in scriptura. Quid enim attinet vel sex vocales comminisci א, ה, ו, ח, י, ע, dum quaeritur quî potuerit Moses scribere מקדש aut מצנפת, vel cur, si Masclefianos monuero his verbis, · שגג מלמדכם דרך שקר רדפתם, nihil desit?

Quare postulo, ut vocalium nomine hic solae intelligantur, quae omnium consensu vocales habentur, quae a Iudaeis תנועות, ab Arabibus حركات a motu appellatae, nulla significantur litera, sed alio notarum genere, a quo quum liceat abstinere, illud consequitur, quod est explican-

Digitized by Google

dum, vocales prolationi sermonis Hebraici, Syriaci, Arabici necessarias, necessarias non esse perinde etiam scriptioni.

Quod ut expediam, aio vim significandi unius cuiusque linguae constare differentia spectanda in origine, similitudine in formis: quamquam linguarum arbitrium usus habet; sed ad fortunam id pertinet, non ad vim linguae, quae in verborum notatione cernitur, seu significatione etymologica, quae a significatione ducitur verbi primitivi, quod est Hebraeis שרש, affecta eo modo, quem conformatio vocis affert certa vi ac momento, quod Hebraeis est משקל. Res nota exemplo tamen illustretur unius veriverbii, quid *Numen* sit non usu, sed vi linguae. Occurrunt, in quibus similitudinem cernas, *acumen*, *volumen*, *flumen* etc.

tum *lenimen*, *molimen*, *farcimen*, ac *certamen*, *gestamen*, *flamen*, quin *regimen*, *tegimen* etc. etc. Quorum ut in exteriore specie ac sono, sic in significatione similitudo est animadvertenda, ut quandoquidem *acumen*, *lenimen*, *certamen*, *regimen* similiter sunt flexa ab *acuo*, *lenio*, *certo*, *rego*, ita horum significatio in illorum notatione intelligatur similiter modificata. Vnde elucet vis formae; qua perspecta, differentia est in originibus dispicienda, ut quae intercedit inter *flo*, *lenio*, *rego*, *fluo*, ac *nuo*, eadem in notatione agnoscatur inter *flamen*, *lenimen*, *regimen*, *flumen*, ac *numen*. Ex quo apparebit *Numen*, νεῦμα, nutus notare divinos, ipsumque nuentem, nutu qui temperat orbem.

Ita vero quum intellectus verborum ab origine ac forma existat et

Digitized by Google

emanet, observare licet praecipuam tamen vim in origine esse, quae per se cogitationem excitat rei universae, cuius dumtaxat modus intelligitur ex forma. Atqui hoc habent peculiare dialecti Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Aethiopica, hoc praecipue differunt a Graeco sermone, ac Latino, aliisque Europae, quod quum horum origines cernantur differentia peraeque vocalium et consonantium, illae in originibus vocales nunquam spectant, quae semper ad formam unice pertinent. Atque utinam non multas haberent formas, quae literis nihil differunt. Vniverse enim si lubeat disputare, consonantium maior copia suppetit, quam sit opus componendo satis ingenti numero dictionum certis legibus, quibus formae etiam omnes per consonas dignoscantur. Tum si defi-

Digitized by Google

nitae vocales eleganti varietate singulis formis essent ad prolationem attributae, scriptis consonis, qui sciret unius cuiusque formae quae vocales forent, vocalium notas nusquam desideraret. Nunc vero eiusmodi quum non sit tota conformatio sermonis Hebraei et cognatorum, adeoque solis eorum literis lectio nullis praeceptis queat praestari ubique certa, scriptionem primitus non omnino optime fuisse institutam fatendum est, atque agnoscenda conditio nunquam non aliqua in re deficientis humani ingenii, cuius praestantissima inventa ne longa quidem expolitione multarum aetatum plerumque plane perficiuntur; tantum abest ut primo statim ortu prodeant omnibus numeris absoluta. At nihilominus intelligitur ideo qui scriptioni primum studuit, non intendisse

Digitized by Google

animum ad vocales, quia exiguum in iis momentum inerat ad significationem, qua percepta, qui linguam callet, haesitare nequit in prolatione verborum.

Etiam nunc volvendis Orientalium scriptis videre licet dictiones partim eiusmodi esse, quae in quocumque argumento creberrime occurrant, partim pro rerum diversitate saepius, rarius, nunquam: ac prius genus pronominibus plerisque constans et particulis, tum verbis et nominibus haud multis admodum, adeo totum esse tritum usu atque obvium, ut signo etiam ambiguo statim vox menti succurrat; alterum, cuius copia longe maior, origines habere conspicuas, et *radices*, ut grammatice loquar, tantum non semper planissime prodere. Quod ingens est discrimen linguarum Orientalium a no-

stris, quarum etyma pleraque abdita, et doctioribus dumtaxat comperta, multa omnibus incerta sunt. Quapropter illarum imperitus nequit putare ipsarum in *radicibus* quantum insit adiumenti; atque adeo, quum praeterea multae formae literis distinguantur, quum usu creberrima, quae illico in mentem veniunt, opem quasi fili praestent in interpretatione universa, quam facilis earum non consignatis vocalibus intellectus plerumque fuerit iis saltem, quibus initio scribendum erat. Nos enim tanto longinqui intervallo temporum, locorum, omnisque vitae, saepe inscitia laboramus verborum, saepius rerum. At principio qui comperirent se scribendo assecutos, ut ab iis, qui tunc legerent, intelligerentur, quid ni sibi viderentur literis, quae vellent, satis commode consignare?

Digitized by Google

Atque accedebat, opinor, quo etiam minus curarent vocales, promiscua saepe quarumdam usurpatio, ut nunc certe קן *nidus*, legitur *ken* et *kan*, שד *mamma*, *sciadh* et *siodh*, גלגל *rota*, *galgàl* et *ghilgàl*, ילדתי *genui*, *jaládhti* et *jalidhti*, שכלתי *orbatus sum*, *sciachálti* et *sciachólti*, etc. etc., eratque, ut nunc, iam tum praecipua in vocalibus varietas dialectorum. Quare his non adscriptis legebat quisque more suo, quae ab aliis aliter efferebantur, ut מרים, et רבי *Marjàm* et *rabbì*, vel *Mirjàm* et *ribbì*.

Quae omnia quam late paterent singula, quibusque finibus continerentur, sine multa, eaque accurata doctrina linguarum orientalium nequit exputari: satis tamen arbitror explicatum quì potuerint eae negligere in scriptura vocales, quae no-

Digitized by Google

XXVII

bis, quae Graecis nihilo minus quam consonae sint curandae. Quod qui intelligit, simul percipit cur scribendi ratio, quum venit ad Graecos, aliquatenus sit mutata, et quae plures habebat notas adspirationis diversae Graecis inutiles, harum aliquas vocalibus dederit in Graeca scriptura non omittendis.

Ac de ח, et ע, quarum vetus Phoenicia figura adhibita est consignandis E, et O, nemo dubitaret, nisi verbo quidam Hieronymi deciperentur, qui adspirationibus nomen vocalium impertitus est. Quem Clericus reprehendit *Quaestionum Hieronymianarum* pag. 77-93, iterumque pag. 203 et seq. Sed mihi quidem mens Hieronymi videtur manifesta, quum adnotat se scripsisse *hi,* ut diphthongum exhiberet. De vocabulo, quo non primus abusus est, ni-

Digitized by Google

hil miror, qui meminerim grammaticos acutissimos Francicas vocales vel quatuor, vel quinque recensere, quae litera consignentur *n*, vel *m* (1): quia scilicet harum literarum additamento certus notatur modus vocalium *a*, *e*, *o*, *eu*, quem nasalem vocant. Similiter enim gutturales Orientalium modi sunt vocalis proferendae. Qui primi literas aliquot Hebraicas in censum vocalium retulerunt, scribebant graece, adeoque ea lingua, cui nec *j*, *v* consonae, nec ulla erat litera, quae modos vocalium affectionesve notaret. Quum vocabulum non suppetit, fit locus

(1) Videsis *Duclos* ad *Grammaire Générale* et *Raisonnéé* Paris 1758 pag. 7-12, additumque. *Fromaut* pag. 10, aut *Diction. Grammatical de la Langue Françoise* Paris 1768 tom. I. pag. 170-173; vel *Traité des Sons de la Langue Françoise* Paris 1788 p. 28 etc. etc.

τῇ καταχρήσει abusioni, ut quum idem Hieronymus Theodotionem memorans Gen. II. 23 אשה interpretatum λῆμμα a נשא, varietatem *accentus* vocat discrimen inter *scin* et *sin*. Quae morari philologum nihil magis debent, quam *casuum* et *coniugationum* abusivae appellationes in grammatica Hebraica.

Magis ambigent docti de א, quod saepe quiescens, vulgo cum *vau* et *jodh matribus lectionis*, quas vocant, accensetur. Verum enim vero si *matres lectionis* lubet appellare literas, quae inserviunt dignoscendis verborum ac nominum formis, quarum in cognitione cognitio vocalium continetur, quibus efferendae illae sunt, profecto אוי *matres lectionis* erunt appellandae; sed *matres lectionis* erunt itidem, non modo ה, verum etiam מנת. Sin matres lectionis eas

Digitized by Google

intelligimus, quae non indicio veriverbii aut formae, sed scribentis proposito ipsae per se designent vocales, ubi ille velit, aio *matres lectionis* in vetere Hebraismo puro ac puto nullas exstitisse. Adhibentur illae quidem iamdudum a Iudaeis saepe utiliter, ubi scribendae voces sunt ipsis barbarae, in suo autem et Chaldaico sermone saepe tolerabiliter, saepe etiam perperam. Multa enim inde exstitit Chaldaismi apud illos inquinatio, et linguae corruptus nitor, qui cernitur apud Syros. Sed religio intercessit ne itidem libri divini corrumperentur, quibus vel unam literam addere nefarium scelus autumant Iudaei. Quod vero contra quidam putant *matres lectionis* passim omissas postquam vocalium notulae sunt adscriptae, certe in Pentateucho nullam habet veri speciem;

Digitized by Google

cuius codices rotatiles praecipua religione magno numero in Synagogis omnibus semper sunt habiti, descripti sine vocalibus; iique emendati diligentissime ad superstitionem. Et vel numi Hasmonaeorum demonstrant orthographiam ante Punctorum inventum eamdem planissime, quae nunc est. In paucis enim admodum verbis habent illi tamen plene ac defective קדושה et קדשה *kedoscià*, חרות et חרת *hherùth*, כוהן et כהן *cohèn*, defective ינתן et גדל *Jonathàn* et *gadhòl*, tum sine *vau* גאלת *gheullàth*; atque ubi per literas aliter legi poterat לחרות ישראל *lahharùth jisraël*, h. e. *scripto*, seu *characteribus Israëlitarum*, quum legi vellent *lehherùth*, h. e. *libertatis*, non tamen est scriptum לחירות, quamquam *mater lectionis jodh* ibi eius rationis foret, quam in rabbinicis nemo reprehendat.

Digitized by Google

Nam ut plane intelligatur quid cum principibus harum literarum Buxtorfio, Schultensio, atque aliis negem, tenendum est usu Iudaeorum, qui auctores exstiterunt appellationis אמות הקריאה, literas אוי matres lectionis proprie iis locis dumtaxat appellari, unde melius abessent, nisi vellet, qui scribit, certiorem lectionem praestare indicio vocalis alicuius. Occurrunt autem ubi videantur non ferendae, ut in כימה ὡς, ne quis legat *cammà, quot*, atque ubi non improbandae, velut in פירוש, *explicatio*, ubi nimirum forma *pikkùdh*, pluraliter olim usitatior, nunc utroque numero in primis crebra, videtur characterem optare, quo notantur item passim a Rabbinis verba, quae in *pi-èl* ante *daghè*s habent *chirèk*, aut huius vicarium *tseri*. Vnde analogia quae-

Digitized by Google

dam exsistit consuetudinis rabbinicae, qua itidem nomina femineae formae סִבָּה, vel גֵּרָה (a גרר) vel alio exitu סִכּוּת, חֵרוּת (a חרר) nunc insigniri haud indocte possunt eadem matre lectionis.

Sed haec recte, quum disputamus quid liceat recepto semel instituto matrum lectionis; non vero si de ipso instituto quaerimus utrum esset suscipiendum. Tunc enim dicimus alia omnino ratione fuisse consulendum ambiguitati lectionis, quae dum ipsa non ubique satis definitur literis intrudendis, origines obscurantur, et linguae ingenium, et pulcherrima analogia. Nam, ut exemplum sumam ex proximo, si eiusdem formae ac *sibbà*, מלה *dictio* scribatur מילה, statim veniet in mentem מול, a quo potius derives, quam a מלל, atque ideo cum Rabbinis *circumcisionem* inter-

Digitized by Google

preteris. Neque vero quia in ipsa vetere orthographia sunt origines interdum ambiguae, novo commento erant omnia sus deque miscenda, sed aliud genus adhibendum signorum. Quod optime senserunt non auctores modo Punctorum Iudaei, sed omnium gentium, quae cognatis utuntur dialectis, quicumque subsidium quaesiverunt lectioni literis incertae.

Ac simplicissima omnium ratio in membranis cernitur perantiquis Corani, quae Hafniae servantur scriptae literis Cuficis, et Adleri descriptione (1) innotuerunt. Poterant similiter Rabbini, quamvis festinantes, saltem in ambiguis puncto notare

(1) *Descriptio Codicum quorumdam Cuficorum partes Corani exhibentium in Bibliotheca Regia Hafniensi . . . . auctore Iacobo Georgio Christiano Adler . . . Altonae* 1780.

Digitized by Google

apposito superius *a*, inferius *e*, *i*, ad mediam literam *o*, *u*. Syrorum antiquissima ratio non operosior, sed multis conflata similibus institutis, non una lege complexa genus universum. De caeteris animadvertendum non defuisse, quibus non placuerit supplere scriptionis defectum notis disiunctis extra ordinem: at bono fato non adeo illi ingenium sui sermonis ignorabant, ut sine eius pernicie posse putarent inferciri א, ו, י, ubi sit legendum *a*, *u*, *i*. Itaque Aethiopes instituerunt, ut litera quaelibet simplex proferretur cum *a* brevi, tum literae singulae vel uncino addito, vel circello, vel crure uno longiore, vel discrimine exiguo alio distinctae, variatis paululum a simplice sex figuris, una cum litera significaret de vocalibus *ā*, *e*, *i*, *o*, *u* quae sit prolationi adhibenda, vel,

quum vocalis nulla debet sequi, id ipsum indicarent: unde existunt ordines literarum septem, quibus distinguitur ipsum *alph* א. Atque eâdem propemodum ratione Mendaei literis vocales adiunxerunt, sed tres tantum. Qui vero omnium proxime ad nostram scriptionem accessit, Gabriel Eva Archiepiscopus Nicosiensis Maronita, vocales ille quidem, ut nos, consonis inseruit notatas literis, sed aliquo discrimine figurae, quo cernatur quid ad pronunciationem pertineat, quid ad veterem orthographiam; atque ita literas habet revera viginti et octo (1). Omnino enim

(1) Editus est a Thoma Eva, Gabrielis nepote ex fratre, *Liber Psalmorum Davidis idiomate Syro*, Romae 1737. Ibi *olaph* rectum est *o*, reflexe curvum *a*, normaliter flexo dextrorsum vertice *e*, intercisum non ad pronunciationem pertinet, sed ad orthographiam, ad quam similiter spectant intercisae literae *vau*, *he*, *judh*.

solis viginti duabus nihil immutatis nequeunt vocales cum consonis consignari, quin obliteretur analogia atque intima constitutio linguarum, de quibus disputamus.

Et nihilominus de matribus lectionis ita loquuntur multi, quasi in omnibus his linguis illarum foret usus egregius: quia scilicet non semper satis cogitate loquuntur homines quamvis docti. Quod ut pateat, saltem de Arabibus dicendum accuratius; qui ubi vocales longas proferunt *a*, *u*, *i*, scribunt *elif*, *vau*, *je*, at non semper: quum *elif* saepe omittant, et ubi *a* longum sonant, interdum non *elif* scribant, sed *vau*, aut *je*, quod quidem passim post *fàthha* silet, et auditur simplex *a*. Quare quum saepius etiam *elif* sit spiritus, *vau* et *je* consonae, quum nusquam admittantur ad indicium vocalis affinis bre-

Digitized by Google

vis, *elif* praeterea passim vacet, nihil habent hae literae cur prae caeteris matres lectionis appellentur, cui serviunt illae quidem, et magnam praestant opem, sed quatenus cum caeteris indicant dictiones a perito linguae e contextu percepta sententia recte accipiendas, adeoque etiam proferendas, quum per se incertam relinquant lectionem, neque scias على e. g. utrum *a* in fine sonet, an *i*, donec noveris utrum praepositio sit, an nomen.

Et sunt profecto Arabes in orthographia trium harum literarum eximie curiosi, atque acuti, de grammaticis loquor; sed quam longe abhorruerint ab instituto rabbinico matrum lectionis, inde patet, quod quum iisdem tribus literis lectionem certam praestare et ipsi susceperint, minutas easdem superius, inferius

Digitized by Google

extra ordinem appinxerunt, veriti nimirum intrudere. Caeterum apud ipsos, ut apud alias omnes gentes, non exīgua varietas usu venit orthographiae, velut quod quiescens *elif* in vetere Hafniensi membrana Corani persaepe deest, ubi habet editio Hinckelmanni, ut adeo varietas lectionis ab Adlero exhibita pag. 25 et seq. tota propemodum sit ejus generis, quae plena et deficiens vocitatur; quodque animadvertendum, deficiens ibi semper est antiquior, ut plerumque in libris Hebraeis. Et numi Musulmanorum primo adhuc seculo cusi, inscriptionibus insigniti longiusculis ex Corano, quum notulis vocalibus careant, nusquam tamen propterea vel unam habent ex literis אוי, ubi nunc adpictis vocalibus non scribatur ab omnibus; ne quis autumet illis tribus literis omit-

Digitized by Google

tendis variatam a recentioribus veterem Arabicam orthographiam. Quod facile in mentem venit iis, qui credunt, quibus locis poterant adesse et desunt in Textu Hebraeo, neglectas esse a describentibus postquam Punctis adpingendis inutiles legenti quodammodo factae sunt. Quod vel a numis Hasmonaeorum, ut monui, refutatur; et a vetere consuetudine repetendum est, quae in quibusdam formis inconstanter, promiscue, ad libitum reciperet aut omitteret *vau*, aut *jodh*.

Quae literae quamquam nunc quidem hic atque illic in unoquovis libro vel emendatissimo adesse aut abesse possint contra quam scripsit auctor, nihil tamen dubito, si de toto genere quaeritur, ab ipsos referre divinos scriptores, qui, ut ferebat usus, alias aliter scriberent, intenti

Digitized by Google

rebus, et longe maiora agitantes animo, quam ut demitterent curam ad delectum vel constantiam in ancipiti orthographia. Itaque saepe scribebant plene in contextu non ambiguo, in ambiguo defective. At in certis formis omnis varietas consistebat; neque ideo, quia *pokédh* liceret scribere פוקד, recte etiam poterat *kódesc* scribi קודש [1], aut עומר כדן .*ómer; gomor*. Neque umquam cum vau in Sacro Codice reperies אהל *tentorium*, אזן *auris*, ארח *via*, בקר *mane*, aut similia. Occurrit qui-

(1) Semel obrepsit קודש Dan. XI. 30; ubi monet Masora ל̊ מל, *leth malè*, nusquam alibi scribi cum *vau*; quod Iudaeis quidem quasi praeceptum est scriptionis abnormis, mihi vero mendi argumentum, quum voci adnotatur, quae facile trecenties in Bibliis occurrit, et quidem etiam eodem plane modo atque intentu, eodem capite, quum ante, v. 28, tum post, v. 30 iterum.

dem צוער Gen. xix. 22, et bis v. 30. Sed his etiam locis codices Samaritani habent sine vau צער, מצער, בצער; et in edit. Mant. a. 1742 adnotatur lectionem plenam esse מספר הללי ex libro Hillelis, quum Hierosolymitanus haberet defective ירושלמי מצער חסר. Quid autem, si nominis pronunciationem significare voluisset Moses, matrem lectionis non primo loco adhibuisset Gen. xiii. 10; neque 2.° ac 3.°, xiv. 2, et 8? Hillelis, etiam illius antiquioris, aevo antiquius initium aliquod exstitisse usurpandi matres lectionis verisimile est; unde abnormes quaedam lectiones plenae a descriptore imprudente facile in Sacram Paginam potuerunt induci. Neque equidem inde multa menda in codices plerosque irrepsisse non suspicor.

XXXV

LXVII

Sed vocem postulo vel unam indicari, ubi consulto litera videatur adhibita mater lectionis agnoscenda; cuiusmodi profecto foret תיעשה Exod. xxv. 31. Sed adi *Varias Lectiones* Io. Bern. De Rossi Tom. I. p. 70; cernes librorum veterum suffragio scribendam sine *jodh*. Afferuntur cum *aleph* צואר, קאם, ראמות, atque alia, de quibus vide Altingii *Fundamenta Punctationis L. S.* §. 34 et 177, eosdemque §. xxxiv. et clxxvii. *Institutionum* Alberti Schultens. Mihi enim satis est quod ibi etiam occurrit eiusdem rationis א, ubi non legitur *a*, ut in צוארי Gen. xlv. 14, Ios. x. 24 bis, etc., et ubi legitur *a*, plerumque, ut in קאם, nemo aliter legeret sine א; adeoque interdum lectionem eo ipso, quod nihil adiuvat, turbat suspicione alius lectionis. Quis enim haereret II. Sam.

Digitized by Google

XI. 1, si scriptum esset לעת צאת המלכים? aut quum primum venit ad oculos המלאכים, non nuntios cogitet, *hammal-achìm?*

Et Psal. XXI. 17, ubi multi scripsisse vatem putant כארו legendum *carù*, numquis aliter legeret si scriptum esset כרו? Nunc vero quia ita non est scriptum, propterea non omnibus probatur ὤρυξαν a כרה. De quo loco quam multa cogitata sint acute ac docte, videsis in *Variis Lectionibus* I. B. De Rossi IV. pag. 14-20, et 239. Ac mihi venit in mentem erratum esse כארי descriptoris antiquissimi pro כראי, quum ראי ὅρασις, *visio*, a visis divinitus oblatis, ut Agari Gen. XVI, atque ab insomniis translatum ad εἴδωλα, spectra, inanes imagines, vel etiam terrificas Iob. IV. 13-16, potuerit ὑπερβολικῶς extenuati corporis aspectum significare,

quasi iam nihil amplius sit quam ראי העין, visio mera, ut quum Muhammedes Sura III. 13 narrat suos in acie duplices hostibus visos رأي العين *visione oculi*. Atque ita Iobi XXXVII. 18. כראי מוצק accipiendum fortasse perinde ac si plenius foret scriptum ראי העין כראי מוצק; quod nimirum fornix caeli soliditatem conflati nitentis metalli habeat oculorum iudicio dumtaxat, quem Eliu re solidum si putasset, dixisset חזקים כמוצק. Nam ראי *speculum* veteres ignorarunt οἱ ό, Aquilas, Hieronymus; et videtur a paraphrasi Chaldaica sumtum, quae rem potius quam singula verba expresserit. Sed quod me movet, illud eiusdem Eliu est, Iob. XXXIII. 21, Schultensio interprete, *Distabescit caro eius prae spectro* מראי, *et ossa eius transparent, non apparent,* vel *ossa eius eminent, quae*

Digitized by Google

non apparebant. Itaque suas Psaltes manus conspicatus ac pedes, quum caetera vestis tegeret, *spectri instar* כראי *sunt*, inquit, *manus meae, et pedes mei: Dinumeraverim omnia ossa mea.* Paulo aliter fortasse Nahum III. 6 *Ponam eam* (redigam) כראי *ut spectrum; atque adeo quicumque viderit, refugiet exclamans: vastata est Ninive*. Plura non addam, qui tutius putem cum veteribus interpretari *foderunt manus meas*, sive legas כרו, sive כארו, כארי e Syriasmo explices, aut aliter. Tantum contendo matrem eius lectionis ibi literam non appellandam, cuius lectionis noverca plane foret, iis unice praestans opem, qui expellere velint, evertere, eradicare.

Atque haec arbitror fore satis ut appareat quam incogitate vulgo et confuse notio matrum lectionis a

Digitized by Google

Rabbinicis ad Biblica sit traducta. Quam equidem inceptam puto postquam Hebraeis innotuit Graeca scriptio, huiusque vocalium usus, ex quo ibi adhibitum *aleph*, ubi fuisset graece scribendum *alpha*.

Multa possem addere, atque etiam deberem, si causam suscepissem perorandam, quam attigi tantum, ut eius penitus cognoscendae rectam plures ineant viam, quae in impigro studio et cognitione est ipsius linguae Hebraicae et cognatarum nulla elementorum parte neglecta. Non enim eo spectat omnis haec disputatio, ut de his elementis probem sententiam meam; sed ut nemo omittat discere per contemtum, quae non huic modo controversiae recte diiudicandae sunt necessaria, sed aliis rebus plurimis percipiendis, partim etiam gravioribus. Id unice laboro

Digitized by Google

ut omnes intelligant non opinionum temeritate fovendam ignaviam, sed diligentia perdiscendi praecavendam temeritatem. Quae adhuc sunt, atque uti nunc sunt, ante oportet scias, quam quae fuerint, assequi valeas coniectura. Hebraicus sermo, quomodocumque is superest apud Iudaeos, pernoscendus primum est; tum quaerendum quam integer, aut quibus debilitatus vulneribus pervenerit ad hanc aetatem.

Neque vero ea tantum velim disci, quae pertinent ad integritatem sermonis; sed ipsam accentuum, ut vocant הטעמים, penitiorem doctrinam arbitror adsciscendam. Vtilior enim est quam suspicentur, qui neglexerunt. Quod ut intelligatur, adumbranda eius notio est; quandoquidem quae in tirociniis vulgo traduntur de accentibus omnino neces-

Digitized by Google

saria, eorum universam rationem complexumque non attingunt, non ideo tamen reprehendenda, quum locus respuat subtiliora. Quamquam qui simpliciter aequiparant *sillùk* puncto finem sententiae consignanti, *athnàch* duobus punctis, *segholta* puncto cum virgula, *rebhìa* et *zakeph* utrumque virgulae, errori dant aditum, quo visa aliquibus est accentuum ratio damnanda vel in prima linea Sacri Codicis. Tenendum igitur accentus primo ac praecipuo suo instituto vocem moderari cantilena quadam Iudaeis solis utili, ut quae in Synagoga legunt, omnes similiter modulentur. Ast quamquam ea modulatio musica verius est, quam oratoria, et ad concentum potius spectat quam ad intellectum, non tamen hunc negligit; quin curatum sedulo est, ut nunquam, nisi certa ratione

Digitized by Google

ac more[1], voces coniungat aut disiungat praeter sententiam. Quare tametsi causae accentuum repetendae non sint ab analysi sententiae, huius tamen analysis magnopere ab accentibus adiuvatur. Quorum multiplicitas et consecutio pertinet ad cantilenam nobis ignorabilem; qui propterea artificium, quo haec significatur, nec admirari, nisi stulte, possumus, nec vituperare, nisi temere. At nihilominus consecutionem ipsam cognoscere possumus, quae sit in Psalmis, ac Proverbiorum libro, et Iobi, quae in libris caeteris; est enim duplex, et utriusque certus usus est in accentibus, ubi sit opus, emen-

(1) Exceptio voces aliquot spectat לאמר, סלה etc., tum quae traiectio accentuum observatur in libris א'מ'ת, ut numerosior versus cadat, quaeque eiusmodi alia non sunt hoc loco singillatim explicanda.

dandis. Sed controversia est in usu ad interpretationem, quem alii spernunt, alii, contra atque aiebam modo, primarium conati sunt demonstrare, et divinae auctoritatis. Atque in primis Wasmutus et Bostonus (1) vix credibili diligentia atque acumine grammaticis causam approbare sunt adnisi, quam falsa religione districti incensa mente susceperant. Sed in erroris propugnatione saepe etiam argutentur necesse est, et rem

(1) Matthiae Wasmuti plus semel cum *Hebraismo Restituto Accentuationis Institutio*, et *Vindiciae* sunt editae. Thomae Boston . . . *Tractatus Stigmologicus* prodiit Vltraiecti 1738 in 4.° Atque alii multi de accentibus libri singulares in pretio sunt, quos laudat Io. Simonis Introd. Gramm. Crit. in L. H. p. 129. Qui tamen omnes quoniam eidem serviunt superstitioni, deest adhuc, qui usum accentuum hermeneuticum tradat recte: quem nihilominus per se poterit assequi mea sententia optime, qui unum aut alterum e potioribus legerit.

obscurent, quae liquet plane, si ab accentibus Sacri Textus non analysim logicam stricte exactam expectes, quae ne fieri quidem ubique ratione prorsus certa humanitus potest; sed quos versus appellamus פסוקים, membris divisos, incisisque minoribus, minimis ratione aliqua sic satis probabili, ut cantilena musica verbis accommodetur intelligenter. Itaque statim initio quum versus occurreret logice monocolus, et cantilena monocoli celerrima dignitatem effati non sustineret, cantilena bicoli adhibita est, ut graviore quasi gradu sententia, cantioque procederet:

Principio creavit Deus orbes caeli orbemque terrarum.

Quae duo cola cantilenae sunt, cuiusmodi in libris Ecclesiasticis nostris asterisco distinguuntur, e. g.

Digitized by Google

LXXVII

*Misericordias Domini * in aeternum cantabo.*

Quod eos fallit, qui mirantur, atquę etiam culpant accentus, quum cernunt eumdem iis locis adhibitum, ubi perspicuum est non esse partes orationis peracque natura disiunctas: nec cogitant cantilenae caesuras atque interspirandi morulas maiores minores, quibus verba dirimat, non esse invicem comparandas ad sententiae intellectum, nisi quae veniant proxime; satis sententiam praestari et syntaxim, quum in unoquoque verborum complexu, quae sunt magis a sequentibus grammatice seiungenda, eo notantur accentu, qui maiorem significat interspirationem. Nequę vero institutum obest, quum idem iteratur accentus, ut fini propior distinguat minus, quia praecedens afficit maiorem complexum ver-

Digitized by Google

borum, totum nempe bis ab eodem intercisum colon, qui sequitur, partem tantum reliquam a praecedente ad finem. Quae qui teneat, facile expediet caetera, videbitque, ut plurimum, non divinitus certe, sed quatenus ab homunculis potest, utiliter Hebraeum codicem accentibus esse distinctum, ut iis cognitis vel quum primum aliquid legis, pronunties apte ad sententiam, et illico syntaxim assequaris. Quae sane locorum difficilium luculenta saepe explanatio est, ac brevissime significata interpretatio, non illa quidem ubique vera, sed nusquam leviter contemnenda.

Nam vel ubi deserenda videtur, ad penitiorem linguae scientiam saepe manuducit. Exemplum esto illud Deuter. XXXII. 5 שִׁחֵ֥ת לוֹ֖ לֹ֑א. Quum hisce accentibus sit שחת לו subie-

etum, quod negatur, adeoque eodem sensu accipiendum, quo in versu praecedente de Deo praedicatur אין עול, apparet auctores accentuum interpretatos *Corruptio ipsi nulla est*, adeoque שחת nomen existimasse eius formae, cuius paulo post, v. 35, occurrit *scillèm*. Convenit Hoseae XIII. 9 שחתך ישראל, favetque Masora, quae adnotat ל׳, alibi non exstare, nomen nimirum sine affixo; nam verbum occurrit, atque in ipso Pentateucho, ut adeo nulla foret causa notandi ל׳. Quod autem eadem ad לו habet ז׳ וח׳ לא לו scilicet לו לא *septies* omnino occurrere (Gen. XXVIII. 1, XLVII. 18, Exo. XXVIII. 32, Deut. XXI. 16, XXIII. 17, XXXII. 5, et II. Paral. XXVI. 18) *sed hic* tantum pro לא לו, adnotatio eidem convenit interpretationi *corruptio nulla est ipsi*. Neque sane לא postpositum displiceret. Sed

Digitized by Google

ita quod reliquum hemistichii est, בנָיו מוּמָם, expedire satis ex sententia nequeo. Vereor enim ut syntaxis ferat *ſiliorum eius est eorum ipsorum vitium*, vel quod foret simplicissimum, *ſilii eius sunt omnino ſlagitiosi;* unde suspicio subit de finali *mem*, quod esse hoc loco possit, non pronomen suffixum, sed *heemanticum intensivum* aut *collectivum*, ut in אולם, דומם, ריקם, יומם etc. V. Simonis *Arcanum Formarum* p. 585-588. Ita foret מומם *macula insigniter turpis*, aut *omnimoda penitissima vitiositas*. At sic duobus vocabulis augenda essent lexica, vel saltem uno מומם; nam שִׁחֵת nomen iam Reckenbergerus habet. Quapropter mutare forsitan praestat accentus, ut legas

שחָת לָו לא-בנָיו מוּמָם

Pervertit ipsi non-ſilios-eius vitium ipsorum,

sua ipsorum pravitas corruptos alienavit a Deo, quos filiorum loco habebat, nunc eius censeri iam nequeunt. Quae multorum interpretatio optime gradum facit ad sequentem obiurgationem: *Haeccine Domino rependis, natio stolida, insipiens? Nonne is est pater tuus, te qui sibi comparavit?* Quum contra proxime ante hanc inopportuna ac frigida veniat animadversio οὐκ αὐτῷ, *non ei*, si ad ἡμάρτοσαν refertur, quod scilicet Deo nihil noceat quod peccarint. Et vix tamen potest dubitari quin id voluerint ὅι ὁ; etsi verbis eorum adamussim congruens textus Samaritanus שחתו לא לו בני מום verti potest *Peccaverunt, non sunt eius, filii maculae*. Samaritana interpretatio mendose habet טבלו· לאלה· pro טַפְּלוֹ· לָא· לֵה·. Sed haec obiter. Nobis

enim erat propositum ostendere, ut accentuum monitu ad ampliorem Hebraismi indaginem excitemur.

Caeterum quo minus contemnamus, occurrent voces passim, ubi videbuntur male neglecti a viris doctis. Quod mihi certe saepe accidit, ubi etiam in damnando consentiunt interpretes, quos facio maximi. Exemplum dabo, in quo viri summi I. N. Schroederi contra me facit auctoritas; cuius praesidio diligenter sane ac docte pertractatus dedita opera est ab Hermanno Muntinghe locus Isaiae xxv. 4, 5. (1) Et prae-

(1) V. Syllogen *Dissertationum Philologico-Exegeticarum sub praesidio A. Schultens, I. I. Schultens et N. G. Schroeder defensarum* - Leidae 1772. 1775. pag. 1172. Eadem pleraque refert, multaque addit Ern. Frid. Car. Rosenmuller in Scholiis in V. T. tom. III. p. 556 Lipsiae 1793. Qui tamen v. 5 accentum putat recte se

Digitized by Google

iverant Ludovicus De Dieu, Campegius Vitringa, quanti viri! accessit nuperus interpres I. Aug. Dathius, non haesitanter adnotans ad v. 5 *Accentus h. l. male positi sunt. Athnachus debebat adscribi* τῷ זרים. At mentem Vatis ab initio capitis repetamus. Laetatur is, Deoque agit gratias quod ferocientes barbaros clade insigni mulcaverit, expugnata, eversa, diruta urbe eorum nescio qua in primis florente, munita, ac valida; quo exemplo territi ipsum barbari vereantur, Iudaei collegerint animum. Itaque dicit Deo, nobis consuluisti, fuisti perfugium inopi, qui premebatur, *perfugium ab alluvione, umbra ab aestu,* quum fure-

---

habere, atque interpretatur: *Instar aestus in loco torrido tu tumultum fragosum hostium deprimis: veluti aestus in umbra densae nubis, ita cantilena violentorum hominum cessabit.*

Digitized by Google

rent hostes, ut alluvio proruens, rapiens, obruens late omnia. Hinc ad verbum v. 5 *Vt aestum in siccitate, irruptionem barbarorum compescis: aestum in umbra nubis putatio ferocium refert.* שאון *irruptionem* verti, non ut vulgo *tumultum*, quia uti Schultensius docuit, שאה, certissima origine, collato ثاي notat *disrumpi cum fragore*, transferturque ad eos, qui ferro flammisque grassantur, et quas obeunt regiones, perinde vastant, ac perruptis cum fragore aggeribus flumen exaestuans: atque adeo שאון זרים plane concinit praecedentibus verbis רוח העריצים כזרם בקיר, ubi זרם *exundatio, alluvies*, mutata in imbrem est ab aliquibus, quia proximam habet mentionem aestus, ubi paullo ante Vates Deum appellat מחסה מזרם צל מחרב. Sed in utroque translato Isaias ad vastitatem respe-

Digitized by Google

xit, quam afferunt tam *torrentia sidera terras*, quam qui *rapidus montano flumine torrens Sternit agros, sternit sata laeta, boumque labores.* Quare quum זרם satis explicasset superiore versu, eumdem hostium irruentium furorem ostendit significari per חרב. Ad תכניע *compesces, deprimes,* adnoto, monente Ev. Scheidio, esse proprie כנע *contrahere,* hinc *minuere,* ac *temperare.* Itaque sententia primi hemistichii est: Tu Deus, צל בחרב, sicut temperas aestum; quum arent solum et aer, ac nisi pluviam adduceres, perirent omnia, ager indueret squallentem adspectum incultae solitudinis; ita hostes coërces Iudaeam similiter desolaturos, nisi compesceres.

Alterius hemistichii priora verba, quae ad *praedicatum* pertinent, opponuntur prioribus superioris, quae

aestum memorabant nullo temperatum imbre; quamquam hic non imber adducitur, sed umbrosa modo nubes, ut perstet Vates in figura, qua Deum appellavit *umbram ab aestu*. Sequitur *subiectum* זמיר עריצים, ubi זְמִיר in regimine, absolute זָמִיר, Cant. II. 12, ut antiquis, (1) mihi est *putatio*, qua vites, arboresque luxuriantes frondibus coërcentur: unde optime transfertur ad cladem significandam hostium, qui unius excidio urbis fuerant non deleti, sed quasi a

(1) Ne quis mecum veteres tantummodo putet facere, ex recentissimis accuratus in primis, et Vulgatae nihil obnoxius Christoph. Aug. Bode, cuius *Nova Versio Sententiarum, Concionatoris, et Cantici Canticorum . . . textus Hebraei Masorethici genuinum sensum libere, perspicue, fideliterque exhibens* prodiit Helmstadii 1777. in 4.° Cant. II. 12 habet *tempus amputandarum vitium advenit*. Confer R. D. Kimchi ad radicem זמר; ubi ad verba Isaiae laudat nobiscum facientem R. Ionam.

Digitized by Google

frondatore praestricti. Reliquum verbum est יענה, *respondebit, referet*, cuius hoc loco elegantissima significatio omnes, quos viderim, adhuc fefellit interpretes. Origo verbi, opinor, est in *capitis demissione*, annuentis, reverentis, submisse auscultantis. Hinc transitus factus ad obsequium ἐυπροσηγόρου, quum conversus, respiciens fit obviam adeunti, ut audiat, respondeat; unde ענה ואמר, أقبل فقال, *si fece a dire*. Quumque adeunti qui se dat, et copiam sui alloquendi facit, sistat se adversum, eique e regione similiter se componat, apud Latinos etiam *respondere* dicuntur, quae e regione sita se respiciunt invicem, ut Aen. VI. 23 *Contra elata mari respondet Gnossia tellus*, et quod Cicero memorat *De Haruspicum Responsis* 23, *alteram porticum, quae Palatio respon-*

deret, Clodius dictitabat velle se in Carinis aedificare, ex adverso nimirum, ac, puto, etiam similem; quum respondere propterea item dicantur, quae invicem conveniunt, congruunt, coaequantur, et quae imitantur, referunt. Quapropter poteram latine vertere *Putatio truculentorum respondet aestui, quem temperet nubes*. Sed malui *refert*, quod perinde ac *reddit*, *repraesentat*, *exhibet*, *exprimit*, *aequiparat*, non obliquo regimine hebraeam huius loci syntaxim assequitur, quam expressiorem adhuc habes Eccles. x. 19 הכסף יענה את הכל· *argentum refert omnia*, h. e. pecunia res omnes repraesentans, rerum omnium vicem praestans *respondet* rebus omnibus (1).

(1) Liceat imperitiores monere syntaxim Hebraicam a Latina itidem recedere ubi est ענה *respondit* in sensu obvio, e. g. Gen. XXIII. 5, ויענו... את אברהם, *et responderunt... Abrahamo.*

Quamobrem Schultensius ad Haririi Consessum III. p. 154 putat غني significationes *opulentiae, divitiarum,* ἀυταρκείας, et *expletissimae utilitatis* traxisse a ענה *respondere:* proxima autem vis verbi عني apud Arabes crebra est *innuendi, significandi,* qua passim proverbiis, fabulisque subditur هذا معناه , يعني , أعني. Vnde perspicua fit sententia hemistichii, quo explicatur quemadmodum tunc fuerit Deus *umbra ab aestu,* nimirum quia aestus mitigatus obductis nubibus figura est, typus, imago, simile, cui respondet lenita molestia hostium, quorum ferociam Deus clade represserit. Quod si monita Schroederi magis placent de verbis זמיר עריצים יענה, ut eorum sententia sit: *Cantus de truculentorum hostium clade alternis vocibus referet;* praecedentia itidem, ut accentus po-

m

stulant, erunt *praedicatum*, ut cantus referat, celebret חרב בצל עב, *aestum a nube defensum*, barbarorum furorem incensum, ingruentem in Iudaeos eorum incursus et molestiam facile sustinentes sub tutela divina.

Brevius alio exemplo defungemur. Iuxta accentus legendum est: *Quomodo sedet sola civitas plena populo, facta est quasi vidua! Domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo!* Plerique tamen, ut nuper etiam Dathius, tricola periodo coniungunt *facta est quasi vidua domina gentium*, טעם בלא טעם, mirum scilicet quod domina fiat quasi vidua, quum vix ulla mulier, nisi vidua sit domina. At tum exclames, quum sola sedeat quasi vidua, quae frequentia populi florebat dudum; et quae metropolis magna erat

in orbe terrarum ac provinciis imperabat, facta sit ipsa vectigalis. Quum רבב, רבה et multitudinem et magnitudinem significent, syntaxi differunt רבתי עם *copiosa populi*, quo multitudo spectatur, et רבתי בגוים, *magna in gentibus*, quo maiestas ac praestantia. Duabus autem admotis ideis suapte natura propinquis רבתי בגוים שרתי במדינות amplificat Vates in altero hemistichio subiectum, quum in priore attributum amplificasset coniunctis ideis natura proximis solitudinis et viduitatis: unde exsistit membrorum quaedam antithesis meo iudicio elegantissima.

Sed vela tandem colligamus. Neque enim ullum disputatio esset exitum habitura, si dicenda omnia forent, quae nullam elementorum partem studioso Linguae Hebraicae ostendunt esse negligendam: et iam ve-

Digitized by Google

reor ne venia praefandi abuti videar, quum praeloquium paene aequiparet opus, cui praemittitur. Finem igitur faciam non tam eos compellans, qui hortandi sunt ut impigre aggrediantur vetere ac regia via ad hebraica elementa cognoscenda, quam qui iam norunt, vix enim alii haec legent; hosque rogabo ut si quid a me recte monitum est, pro studio, quo has literas ipsi fovent, adolescentibus insinuent, quicumque videantur excitandi; iisque identidem inculcent non esse admodum ad criticam properandum, quandoquidem quae sine absoluta grammatica doctrina, diuturna exercitatione accurate interpretandi, amplaque supellectile omnigenae eruditionis critica suscipitur librorum tam remotae atque abstrusae antiquitatis, non acuminis critici specimen est et de-

Digitized by Google

monstratio, sed impudentissimae temeritatis.

Superest ut de tabula dicam, in qua recepi me figuras exhibiturum cognoscendas, ut controversia possit iudicari de antiquis Hebraeorum literis.

Primum locum dedi formis Samaritanis Scaligeri, secundum Romanis; caeterae decerptae ab Alphabetis Bouhierii, R. Azariae, ac Mss. Additae aliquot ex typis vulgaribus; unum ג e tabula est Aug. Pfeifferi Criticae Sacrae Cap. x. Digressione de Linguis Orient. §. 4. A Manuscriptis quae sumta sunt, spectari velim in tabula, quam exhibet Evangeliarium Quadruplex Francisci Blanchini post pag. DCIV partis 2.ae

Literae Hasmonaeorum e numis sunt editis a Baierio. Duae assum-

Digitized by Google

ptae ex numo Antigoni, de quo Barthelemius *Journal des Savans* Mai 1790.

Alphabetum Palmyrenum multiforme valde admodum cernitur in epistola Ioannis Swinton pag. 693 Vol. XLVIII Transactionum Philos. Londini ad annum 1754. Adhaesi unice inscriptioni III.^{ae} quae anni Christiani est 49 (V. ibi pag. 717, et 726) habetque omnes literas praeter ט, צ, ק.

Adieci in angulo superiore n.° 1. nomen יהוה scriptum 1.° literis Scaligeri, 2.° Manuscripti Vaticani, 3.° et 4.° Hasmonaeis.

In areola 2.^{a} praemisso capite taurino, unde nomen repetunt τȣ̃ *aleph*, literas admovi Hasmonaeam, Palmyrenam, ac deinceps Iudaicas duas. Sed communis origo magis evincitur collatis 𐤁 𐤃 𐤓, ב ד ר, quae vel in

editis Samaritanis et Hebraeis congruunt, differunt similiter omnino; ac magis etiam apparet in ק et ש.

Areola 3.ª exhibet ה Samar. Hasmon. Palmyr. ac deinde figuram, quae cognationem ostendit cum Hebraica. Qui *vau* conferat primum in Hasmonaeis cum 5.°, ac 3.° in Samaritanis, admoveatque Palmyrenum, de figura *vau* Hebraici, quin sit agnata, non dubitabit; et nomen *vaù* uncinus, paxillus est saepe in Pentateucho.

Zain, telum, Samaritano affine cernitur in areola 4.ª Quinta figuras confert τοῦ ח Samaritanam, Palmyrenam, Iudaicas in Phylacteriis. Similitudo τοῦ ט manifesta est. *Jodh*, in quo discrimen est maximum, Iudaeis est simile Palmyreno, propiusque accedens ad Graecum, adeoque ad vetus Phoenicium, quam Sama-

Digitized by Google

ritanae formae aut Hasmoneae mirifice discrepantes inter se.

In areola 6.ª subdidi τῷ ל et τῷ ח figuras ex Phoeniciis ac Punicis Tab. III.ae Lud. Dutens *Explication de quelques Médailles*. Londres 1776; ut ex eiusdem altera Tab. III. *Graecarum Veterum Literarum* duo Y exhibeo in areola 7.ª quarto et quinto loco: atque ita haec areola 7.ª cognationem ostendit inter Y et Hasmonaeorum *vau*, cuius alia forma ibidem cernitur ex adverso digammatis Aeolici, seu F, orti ab illa conversa dextrorsum.

8.ª Areola ne vacaret, data est τοῖς תגים, de quibus in nota ad pag. XXXVI. Ac sunt coronulae uni cruri addendae septem literarum ג ז ט נ ע צ ש in scriptione religiosa, pinguntурque ab aliis aliter aliquanto. Descripsi a rotulis Pentateuchi et Esterae, et


a membrana *Tephillin*. Conferri possunt Wagenseilius in *Sota* pag. .415, et Surenhusius Misnae tom. I. pag. 9. Subdidi בדהחיק insignes apice, quem quidam addunt etiam literis אפת eiusdem scriptionis. In Pentateucho, quem versavi, praeter septem literas coronulis ornatas, aliae omnes quindecim nihil habent peculiare, similes admodum formis Plantinianis.

Caeterum iuverit hic tandem eas etiam formas exhibere trium Alphabetorum Samaritani, Phoenicii, ac Palmyreni, quas ad praeli usum, ut alias innumeras linguarum fere omnium exculpsit, habetque noster Editor, huius omnis artificii ac laudis typographicae longe princeps.


Sed praemonendi sunt, qui nesciant, ingentem etiam haberi varietatem literarum, quae Phoeniciae perhibentur, copiam facienti-

bus *Barthelemy*, *Swinton*, *Pellerin*, *Duttens*, *Buttner;* quarum in multiplicitate complures cernuntur formae Iudaicis propiores.


Alphabetum Samaritanum



Phoenicium




Palmyrenum



Digitized by Google

L I a



P. Tela in.

C7193 B

Digitized by Google

5 . 3 . 387

Digitized by Google

5·3·25

DE

PRONVNCIATIONE DIVINI NOMINIS QVATVOR LITERARVM.

Digitized by Google

5 . 2 . 2

DE PRONVNCIATIONE

DIVINI NOMINIS

QVATVOR LITERARVM.

CONSPECTVS OPERIS

PER SVMMA CAPITA.

I Iampridem Hebraei non pronuntiant יהוה, sed *Adhonàj*, vel *Elohìm*; II atque eius Nominis iam tum poterant ignorare vocales, quum Punctis notari sunt coeptae. III Tum vero vocibus, quae non pronunciabantur, earum, quae substituerentur, Puncta placuit apponi; IV atque ita τῷ יהוה Puncta esse adscripta τȣ̃ אדני quatuor argumentis evincitur. V Neque obstat quod sub *jodh* sit *scevà* simplex, quod unum fuit in usu aliquandiu, VI ac pro-

Digitized by Google

ferebatur plerumque ut *a* brevissimum, VII coepit autem componi, ut consignaretur in dubiis, ad quam vocalem vergeret; VIII unde etiam nunc multis locis superest sub consonis compositum; IX et contra quum simplex servaretur sub יהוה, ubi legitur *Adhonàj*, potuit addi *segòl*, ubi legitur *Elohìm*, ut pronunciatio tunc rarior scevatis adnotaretur, X vel quia altera haec lectio *Elohìm* non nisi serius est suscepta, postquam sub gutturalibus iam *scevà* compositum usurpabatur, XI vel quia in eo, quod saepius occurrit, compendium placuit, in eo, quod rarius, accuratio: neque alioqui in huiusmodi subtilitatibus semper sibi constant Iudaei, XII qui sacris literis Puncta addiderunt, quum iamdiu pronunciationem divini Nominis religio sustulerat. XIII Ac Masorethas putasse τὸ יהוה Puncta mutuari τῦ אדני, certum habet etiam, qui caeteroqui contra nos facit, Io. Iac. Schultens. XIV Testes praecipui allegantur Iudaicae religionis erga Nomen divinum, XV quae illustra-

tur historia R. Ananiae, unde intelligitur non potuisse Iudaeos pronunciationem eius Nominis Punctis velle significare, XVI et Puncta redarguere lectionem *Jehovà*, nisi quatenus ab insciis potuerunt apponi, quae casu congruerent. XVII Quid Graeci ad quaestionem suppeditent, ac primo Clemens Alexandrinus. XVIII Vnde Diodorus Siculus habuerit Ἰαῶ, XIX de quo plura e Gnosticis, XX a quibus habuit et Philo Byblius; XXI at nullatenus ea probatur pronunciatio. XXII Clementi pro *Jahvè* testes adiunguntur Epiphanius et Theodoretus, XXIII neque officit quod eam hic tribuat Samaritanis. XXIV Ea congruit normae Hebraicae, XXV etiam in compositis, ubi fit *Jeho, jàhu;* trunca vero videtur in *Jah,* XXVI nihil repugnante loco difficili Isa. xv. 4. XXVII Notatio nominis ita satisfacit planissime, XXVIII etiam si interpreteris Ὀντωτήν. XXIX Quo Danzius modo, quo Hillerus grammatice explicent *Jehovà*. XXX Vt hanc appellationem Danzius male confir-

Digitized by Google

met verbis Apoc. xvi. 5. XXXI Eius omnis ratio refellitur collato אהיה. XXXII Simplicior potior habetur interpretatio. XXXIII Elegans Io. Iac. Schultensii, at non satis probabile commentum. XXXIV Danzii qualecumque argumentum e talmudica disputatione, XXXV quae ad mentem Magistrorum explicatur, XXXVI habetque difficilem disceptationem, sed nihil ad rationem Danzii, sonumque *Josà;* XXXVII nec habent aliquid Talmudis interpretes, qui contra probant scriptionem יוסי, XXXVIII nec ullius momenti est discrimen scriptionis יוסה, XXXIX quod neque aptum symbolum quit haberi lectionis *Jehovà*. XL Aliud argumentum Danzii a verbis ductum Severi Antiocheni refutatur. XLI Frustra multi, ut non ita pridem Dorhout, notam novitatis conantur eluere pronunciationis *Jehovà*, XLII quam nuper I. D. Michaëlis fulcire contendit commento I. M. Gesneri, XLIII cuius ratio in verbis Eusebii redarguitur, XLIV etiam Demetrii auctoritate, XLV

Digitized by Google

ac rerum Aegyptiarum notitia. XLVI Inscriptio Saidica pro Gesnero inopportuna. XLVII Si speciem leviter sequi placeret, e duabus vocibus Aegyptiis possem componere יהוה, XLVIII quod cum tertia futuri non esse censendum congruere, nihil est quod autumet Michaëlis. XLIX Iovis in veriverbio nulla caussa est legendi *Jehovà*. L Omissa omni pronunciatione proprii nominis praestat usurpare *Adhonàj*. LI Quae sit adversantium superstitio. LII In patrocinio Punctorum sunt voces saltem excipiendae, quas Iudaei non recitant, LIII quippe quarum Puncta non consignare ipsorum institutum est. LIV Pocockii et Schultensii ratio improbatur in susceptione complurium *chethivìm*. LV Quae sit verisimilis origo τȣ̃ *Kerì*. LVI Mutabilis vocabulorum usus etiam pertinet ad augendam honoris significationem. LVII Indicata origo τȣ̃ *Kerì* amplius et accuratius demonstratur. LVIII Ratio Schultensii strictius arguitur. LIX Quid denique patronis Punctorum expe-

diat habere praestitutum: LX unde consequitur maiorum exemplo ipsos etiam oportere יהוה vicario nomine appellare *Adhonàj*.

Digitized by Google

I.

Nomen divinum יהוה his quatuor literis adiunctas plerumque habere notulas vocales nominis אדני iamdiu viri doctissimi docuerunt. At repugnant adhuc bene multi, eorum etiam, qui principatum in literis Hebraicis tenent. Quare sententia etsi vetus et illustris, explicanda adhuc curatius videtur et vindicanda.

Itaque ut ad rem statim aggrediar, non quaeram de ipso Nomine יהוה, num primus didicerit Moses Exod. VI. 3, neque an postea in ore Hebraeorum diu vulgo fuerit. Sed sive stante adhuc Hebraeorum re sensim, serius, ocius, sive *in transmigratione Babylonis, in terra aliena* religio intercesserit ne id nomen a plerisque usurparetur, postmodo ne ipsi quidem Sacerdotes in publicis precibus, nisi in Templo Hierosolymis pronunciabant, donec tandem uni relictum est Summo Pontifici, ut uno anni die festo הכפורים in secretissimo fani adyto proferret. Caeteri perinde ac si

Digitized by Google

vetuisset ipse Deus, non in sermonibus modo, sed in ipsa recitatione divini Codicis ab ea appellatione abstinebant. Hinc mos obtinuit ut ubicunque in scripto est יהוה, legatur *Adhonàj*, nisi ipsum אדני proxime adiunctum praecedat, aut sequatur. Tunc enim ne continenter in eodem colo vocabulum non iteratum literis ore geminetur, יהוה legitur *Elohìm*. Atque hoc institutum a Iudaeis omnibus nunc servari, nequit ambigi; inceptum autem iamdiu ante Christum natum demonstratur eo quod in vetere Graeca interpretatione passim ὁ Κύριος sit, ubi Hebraei libri habent יהוה.

II.

Tunc vero adhuc literis non accesserant, quae nunc Puncta celebrantur in Hebraica Philologia, significantque vocales: quarum quum varietatem per ingenium linguae ratio ac literae non respuebant, tunc sonus nominis alicuius proprii non nisi audiendo discebatur. Quare post

Digitized by Google

aetates hominum satis multas verisimile est quo tempore additae literis sunt, quae nunc habentur notae vocalium, iam tum perinde ac nostro aevo Iudaeos nescivisse, quae olim fuerit religiosissimi nominis pronunciatio. Sed vel si eius tunc quidem certa adhuc traditio supererat a Principibus Sacerdotum fidei commissa et credita sobolis successurae in cerimoniarum iurisque magisterium, non ita profecto studiosi Legis erant instituti, non id gentis ingenium erat, ut vellent vulgare, aut auderent.

III.

Vniverse autem, qui Puncta, quae vocantur, adhibuerunt ad contextum Hebraicum, quum verba passim occurrerent, quae aliter solebant recitari, quam erant scripta, hanc inierunt rationem, ut servatis in textu literis verborum, quae non legebantur, vocales apponerent eorum, quae solebant pronunciari, orbiculo supra vocem posito, qui admoneret lectionis literas eas non esse, sed quaerendas in mar-

Digitized by Google

gine; nisi lectio nota adeo vulgo esset et crebra, ut inutilis futura videretur et molesta adnotatio; quum satis foret lectionem praestare in Punctis adscribendis. Itaque solis punctis consignarunt legi היא quoties feminei generis in Pentateucho est הוא, legi *Jeruscialáim* ירושלים, ubi literae exhibent *Jeruscialèm*, *Jissachàr* ישכר, ubi literae יששכר appellationis sunt primigeniae *Jissasachàr* ex veriverbio ישא שכר, ac vero etiam, ut puto, legendum שני *scenè*; שתי *stè* (pro *scittè*) ubi שנים est, aut שתים ante עשר, aut עשרה. Vide I. Simonis Lexicon ad שנים.

IV.

Quare consentaneum erat omnino, ut quandoquidem pro scripto יהוה legebatur אדני, huius lectionis Puncta literis adiungerentur vocabuli, quod servabatur in textu scriptum non legendum. Id autem reapse factum evincitur

1.° quia Punctis appositis, quibus יהוה legendum foret *Jehovà*, vocabulum exsi-

stit formae parum probabilis per analogiam sermonis Hebraei.

2.° quia coniunctione, aut praepositionibus praefixis *Jehovà* efferendum esset *vihovà*, *bihovà*, *chihovà*, *lihovà*, *mijjchovà*, vel *mihovà*, subdito praefixis puncto חירק: substratum vero est postremae huic צרי, caeteris פתח ut legatur *vadhonàj*, *badhonàj*, *chadhonàj*, *ladhonàj*, *meadhonàj*, uti linguae postulat ingenium et mos cum literis אדני. Quod autem Deut. xxxii. 6. haud pauci scribunt הַלְיהוָה, nihilominus ita cum *jodh* otioso abnorme foret *halhovà*, quam *haldonàj*. Itaque rectius habent alii *scevà* sub *jodh*, qui vel cum Van der Hooght a. 1705 sciungunt הל, vel cum Buxtorfio a. 1618 coniungunt quidem, nec tamen addunt *scevà* sub *lamedh*, ut coniunctio sit dubia, vel tandem duo habent scevata, ut edit. Mantuae a. 1742, ubi diserte est adnotatum הלמ״ד בשוא נוח ואותיות השם בנקודותיהן.

3.° quia post *Jehovà* cum accentu aliquo e coniunctivis, qui dicuntur טעמים משרתים, literae בגדכפת forent adspirandae, adeoque

Digitized by Google

e. g. Oseae v. 7. ביהוה בגדו legendum *bihovà vaghádhu*, quum contra sit *baghádhu* cum *daghès*, ut oportet post *badhonàj*. Confer Ps. II. 11, et VII. 18, ubi proxime v. 17 habes post eosdem accentus *verosciò;* tum Ps. XVIII. 21, XXXIV. 2, XXXVII. 5, etc.

4.° quod praecipuum est, si vocales illae adiunctae notae propriae nominis essent יהוה, eiusdem itidem habendae propriae forent etiam notae vocales aliae, quibus sonet *Jehovì*, quiescente ה post חירק, sine exemplo, et contra rationem elementorum. Idem vero nomen duplicibus gaudere vocalibus, quarum alterae sine causa ibi dumtaxat ac semper sint, ubi adiacet אדני, ecquis credet ingenio non absurdo? Atqui absurdius sit dicere nomen יהוה Punctis notari vocabuli, quod Iudaei legunt, ubi legunt *Elohìm*, si neges idem, ubi legunt *Adhonàj*. Hoc enim foret conclusionis legitimae propositionem approbare, et assumptionem; quod consequitur non agnoscere. Conclusio huiuscemodi est. Heqraei ubi aliter legunt, ac literae habent

Digitized by Google

Sacrae Paginae, vocales adnotant verbi, quod legitur. Aliter autem atque habent literae, יהוה ubique legunt aut *Adhonàj*, aut *Elohìm*. Consignant ergo vocalibus aut τȣ̃ *Adohnàj*, aut τȣ̃ *Elohìm*. Quarum lectionum quum altera, minus crebra, nusquam usurpetur, nisi ubi prioris literae אדני proximae in Textu sunt, satis patet ideo institutum ibi legi *Elohìm*, quia alioqui legeretur *Adhonàj*; atque ideo hoc prius.

V.

Neque propterea conclusio labefactatur, quia quum legitur *Adhonàj*, *scevà* simplex est sub *jodh*. In voce enim adeo frequenti omitti *páthach* potuit compendii gratia. Quamquam equidem non ideo coeptum omitti suspicor, sed quia aliquamdiu unum tantummodo idemque ubique adhibitum scribendo sit *scevà*, quod nihil aliud indicaret, nisi superiorem literam vocali omni carere plane ac plene ita efferenda, ut incumbens in eam consonae prolatio

non sit concisa. Nimirum quum initio vocales, ut equidem credo, alicubi tantummodo haec aut illa, non omnes, statim atque inventae sunt, ubique adnotarentur, non inutilis prorsus visa nota est, quae certiorem quemque faceret, ubi nulla esset vocalis adhibenda. Sed non uno eodemque prorsus modo ubique omnium literarum prolatio sine vocali absolvitur. Nam primo quae consona adhaeret praecedenti vocali, finiri potest abruptius, quam quae ante aliam consonam inchoat syllabam; deinde sunt literae aliae aliis efferendo expeditiores; ac tandem quaedam quarumdam necessitudo cum quadam vocali est.

VI.

Itaque prima observanda discretio scevatis quiescentis ac mobilis. Mobile autem non nisi inchoatione alicuius vocalis fit, cuius corripiat vix exaudiendum sonum. Et quamvis, ut nunc quidem legimus, ibi tantum corripiat *a*, ubi notis compositis consignatur חטף פתח, olim tamen

itidem, ubi simplex est, plerumque efferebatur per correptum *a*. Quam quidem eius fuisse pronunciationem aliquot ante ac post Christum saeculis, Philologi non ignorant: at falluntur, si qui putant apud Iudaeos iamdiu obsolevisse. Qui enim floruit anno Christiano circiter 1190, praecipuus eorum grammaticus Davides Kimchius diserte docet *scevà* simplex mobile nunc ad hanc vocalem, nunc ad aliam inclinare ac vergere, scilicet ante unam e literis אהחע ad sonum vocalis accedere, quae sequatur, ante *jodh* accedere ad sonum *i*, atque adeo e. g. בְּיוֹם, שְׁאוֹל, קְחוּ, קְחִי, יְאַבֵּד efferri propemodum *jăabbédh, kĭchì, kŭchù, sŏol, bĭjòm*: Verum ante caeteras literas omnes pronunciationem eius vergere ad *a*, ut adeo e. g. בְּרָכָה, גְּלִילִים sono proxime absint a *bărachà, gălilìm*. Vide eius ס׳ מכלול Venetiis a Bombergo editum a. Chr. 1545 fol. 189. Atque idem praecipit Davidis frater Moses in Grammatica inscripta מהלך שבילי הדעת Venet. a. Chr. 1624 f. 14. Lugduni Bat. 1631 pag. 82. Commode autem

non eodem fratres utuntur vocabulo, sed נטה לפתח, inquit David, Moses נטה לקמץ, quod omnem aufert utriusque appellationis ambiguitatem, quandoquidem sola vocalis *a* eadem, ut nobis, ita Iudaeis Hispanis erat et פתח et קמץ. His addo recentiorem Italum Abrahamum de Balmis, qui diem obiit supremum dum eius grammatica, מקנה אברם, a Bombergio edita a. 1523, typis excudebatur, cuiusque verba libet exscribere de Scevate Regula quarta כל שוא נע שלא תבא אחריו יוד ולא אות גרונית תנועתו נוטה לתנועת הפתח הגדול. Non enim verba sunt hominis, qui antiqua memoret, sed qui praecise ac perspicue doceat in praesenti *omne scevà mobile non subsequente jodh, neque litera gutturali vergere ad vocalem a*. Ac revera aetate suppar magni nominis grammaticus Elias in annotatione ad laudatum מהלך Mosis Kimchii, quam scripsit a. 1504, edidit a. 1508, non antiquatam ait esse pronunciationem scevatis, ut *a*, sed, quum ea tradatur a compluribus grammaticis, esse tamen, qui di-

cant sonum eius vergere ad *segòl*, atque ita legere Iudaeos Germanos; כתבו קצת מדקדקים שקריאת השבא נוטה לפתח ויש אומרים לקריאת הסגול וכן קוראין האשכנזים:

VII.

Sed haec obiter. Nam quod ad rem nostram facit, iamdiu a multis erat animadversum, olim, atque adeo quo tempore verisimiliter notari coepit, scevà mobile in plerisque vocibus fuisse quoddam pronunciationis celeritate imperfectum *a*, quemadmodum est nobis *e*. Neque tamen non in aliquot vocibus ad aliam vocalem magis accedebat. Sed hoc, perinde ac discrimen quiescentis scevatis ac mobilis, usui linguae relinquebatur, una eademque nota pro quovis scevate ubique adhibita, initio etiam sub gutturalibus. Postea vero quum quaedam subinde unus atque alter animadverteret, quae nisi minus ambigue notarentur, pronunciationem, quae recta habebatur, non viderentur servatura, ubi cavere quis vellet ne scevà minus bene ef-

ferretur, coepta est apponi scevati nota vocalis, ad quam ibi potissimum inclinaret.

VIII.

Hinc videmus adhuc passim *scevà* compositum sub literis non gutturalibus; ut vel in solo Geneseos libro, atque omissis, quae derivata a ברך, crebra admodum, sub *resc* habent חטף פתח, cuiusmodi invenies sexdecim uno in capite XXVII. a v. 19 ad 34; his itaque omissis, vide cap. II. 12 וְזֲהַב, ibidemque v. 23 לֻקֳּחָה; tum III. 17 תאֲכֲלֶנה, v. 29 אֲרֲרָה, XVI. 13 רֳאִי, XXI. 6 יִצֲחַק, XXV. 22 ויתרֲצֲצו, XXVII. 26 וּשֲׁקָה, tum v. 29 אֲרֲרֶיךָ, et v. 38 הַבֲרָכָה, XXIX. 3, et 8 וגלֲלוּ, XXX. 38 בשקֲתות, XLI. decies שִׁבֳּלִים, XLIII. 11 צֳרִי, XLIX. 23 וימרֲרהו. In quibus ne quis miretur *scevà* toties compositum cum pathach, quando simplex vix aliter efferebatur, animadvertendum est eo saepe cautum ne quiescens haberetur, quum adhuc nota non succurreret, *methegh*, vel געיא. Et quia nullum in his exemplum est compositi cum *seghòl*, unum dabo II

Sam. VI. 5 ובצלצלים, quamquam non, ut priora omnia, hoc etiam exstat in textu in primis celebri Everardi Van der Hooght. Sed habet editio Mantuae a. 1742 omnium in his minutiis κριτικωτάτη, quod annotationes evincunt, monuitque Cl. Io. Bern. De Rossi pag. XLI Prolegomenorum ad Varias Lectiones V. T. Atque habent item editiones praestantissimae, quas facile quisque possit inspicere, Polyglottae Regia, Parisiensis, et Waltoniana, Magna Biblia Rabb. Bombergii et Buxtorfii, parva Roberti Stephani, ut sileam caeteras. Pronunciatio autem est, opinor, usurpata *zelzelîm*, ut repetitio *zade*, syllabae alterius initio accedente propius ad sonum prioris prolatae per *seghòl*, vox lenior cymbala melius imitaretur quam aut *zalzalîm*, aut quod cum chirek ad linguae normam sonuisset propemodum *zilzalîm*.

IX.

Neque haec de scevate sub quacumque litera composito nova sententia est.

Vide viri summi Nicol. Guill. Schroederi *Institutiones* Reg. 49. Quod autem sub gutturalibus mobile semper compositum adhiberetur, hoc coeptum serius puto. Vnde consequitur ut simplex fuerit principio adscribendum sub priore litera τȣ̃ יהוה, quum item adhuc simplex esset sub priore τȣ̃ אדני. Quod idem patet fuisse adhibendum sicubi lectum est *Elohìm* antequam coeperit, ubi sceva recederet a sono frequentiore, vocalis apponi, ad quam accederet, adeoque compositum adscribi priori τȣ̃ אלהים. Postquam vero institutum est, quia saepius infrequentioris pronunciationis gratia scevà compositum usu veniebat sub gutturalibus, id ubique sub ipsis usurpari, addendum etiam fuit pathach scevati τȣ̃ אדני. Sed inutile visum est scripturam novare τȣ̃ יהוה ubi legitur *Adhonàj*, quia quum duae causae exstitissent comp. nendi scevatis, prior ut eius consignaretur sonus (ita dicam) extraordinarius, posterior ut constans eius esset usurpatio sub gutturalibus, priori causae

Digitized by Google

non erat locus, posteriori non apparebat. Contra prioris causae potuit ratio haberi, ubi legitur *Elohìm*.

X.

Atque aliud, ac maioris momenti discrimen est in tempore; quum non quo aevo coeptum est יהוה legi *Adhonàj*, eodem aut proximo institutum etiam videatur, ut ubi adiunctum est אדני, legatur *Elohìm;* sed per aliquot aetates ubi occurreret אדני יהוה, aut יהוה אדני, pro utroque vel semel videtur esse pronuntiatum, vel iteratum idem nomen *Adhonàj*. Nam Graeci interpretes bis Gen. xv. 2, et 8 habent Δέσποτα Κύριε, saepe admodum Κύριος Κύριος, interdum vero Κύριος tantummodo, ut in illo Isaiae LXI. 1, quod Lucae IV. 18 memoratur lectum a D. Iesu רוח אדני יהוה עלי, Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμέ. Omnino autem animadvertenda est creberrima in locis huiusmodi varietas Graecorum codicum, ut quod passim in Ezechiele Alexandrinus habet 'Αδοναὶ Κύριος, quibus

locis solum est Κύριος in editione Vaticana, in qua Κύριος geminatur saepe alias, ubi semel in Alexandrino est. Vnde licet coniicere plerumque certe primos interpretes a repetitione abstinuisse, quam postea induxerit Origenis sedulitas, atque aliorum, qui Graecam interpretationem contulerunt cum libris Hebraicis: atque intelligitur, quamquam etiam ὁ Θεὸς, vel Θεὲ paucis aliquot locis nunc invenitur pro alterutro nomine, non propterea tamen institutum, quod in eorum concursu iamdiu obtinet, antiquius censendum Graeca interpretatione. Nam ubi e. g. in Romana editione est Κύριε Θεὲ, Deut. III. 24, in Alexandrino est Κύριε, Κύριε, et ubi habet hic Κύριε ὁ Θεὸς, illa Κύριος ὁ Θεὸς, Habac. III. 19, ibi non *Dominus Deus*, sed *Deus Dominus* Hebraei legunt. Quorum legendi recens ratio universe ne innotuit quidem Origeni, aut ei, quicumque scholion scripsit relatum in Vaticanam Editionem ad verba Ezechielis VIII. 1 χεὶρ Κυρίου, vel, ut Alexandrinus ha-

Digitized by Google

bet χεὶρ Ἀδωναῒ κυρίου. Quum enim adnotata varietate, ἐν τισὶ δὲ γέγραπται χεὶρ Κυρίου Κυρίου, repetitionem satis fuse explicet, quo eam modo Hebraei vitent, si novisset, monuisset etiam. Neque enim ineptus plane modus est; quem ne quis temere carpat, auctorem laudabo libri I. Paral. XVII. 16, et 17, qui Davidis verba referens eadem, quae II. Sam. VII. 18 exstant, pro אדני יהוה semel atque iterum scripsit יהוה אלהים. Liber aevo conscriptus est Hebraismi instaurati ab iis, qui Viri vocantur Synagogae magnae, quum iam יהוה suis literis extra Templum non appellaretur: neque tamen, quae modo aiebam, sinunt nos credere iam tum vulgo receptum ut אדני יהוה legeretur *Adhonàj Elohìm*. Sed ab aliquibus praeter morem pridem fieri potuisse intelligitur, quod non ita pridem fit ab omnibus more. Quod si mos legendi *Elohìm* pro יהוה, ubi additur אדני, multo est recentior, facile contigerit; ut quum est primum inductus, iam tum usus scevatis compositi obtineret,

sitque adscriptum sub יהוה, quod iam erat sub אלהים, nec propterea ubi legitur *Adhonàj*, non relictum simplex, ut fuerat primitus usurpatum.

XI.

Quamquam contenti esse possumus ratione magis obvia, quod in ea notatione, quae longe saepius occurrit, compendium placuit, in ea, quae rarius, accuratio. Quo autem omnis, si quis adhuc haeret, scrupulus prorsus amoveatur, animadvertendum est alias item, ubi *scevà τȣ̃ Kerì* subscribendum est literae *τȣ̃ Chethìv*, quae si spectetur ipsa, aliud *scevà* postulare videatur, ibi Hebraeos Punctatores non satis inter se convenire, quum quidam, iique rectissime, nullam putent rationem habendam literae *τȣ̃ Chethìv*, adeoque e. g. 1. Sam. v. 9, et vi. 4, et 5 sub *ע τȣ̃* עפלים *scevà* scribant simplex *τȣ̃* טחרים, ut I. Simonis edidit, et in his minutiis *ἀκριβεςάτῃ* editio Mantuae 1742, quae ne quis dubitet, primo, iterum, ter-

Digitized by Google

tio adnotat העי״ן בשוא לבדו. At contra cum bene multis Van der Hooghtius subscribit *chateph-pathach*, quia alias τὸ ע initio syllabae respuit *scevà* simplex. Neque vero in tanta rerum levissimarum subtilitate censendum est auctores Punctorum rationem constanter ubique secutos esse unam, eamdemque non ineptam, eamque nos assequi ubique posse coniectura.

XII.

De quorum antiquitate nunc non aggrediar dicere, neque vero etiam de auctoritate, quam vel qui maximam tuentur, ostendam postea debere nobis in hac quidem causa consentire. Nam quod incepi, oportet prius efficiam e sententia plerorumque et mea ipsius, qui quamquam initia quaedam notularum literis addendarum apud Hebraeos antiquiora suspicor, quam plerique autumant, cum plerisque tamen certum habeo id inventum non fuisse absolutum, omnemque receptum Punctorum apparatum, qui nunc in textu He-

Digitized by Google

braeo est, nisi diu post expugnata atque eversa a Tito Hierosolyma: ut adeo nobis certe alterutrum credere sit necesse, aut literis יהוה qui Puncta adscripserunt, voluisse vocales apponere τ8 אדני, aut quum ipsi ab illis literis ore exprimendis abstinerent, non ideo tamen voluisse Punctis consignare lectionem suam, sed pronunciationem, a qua abstinebant.

XIII.

Atqui vel quae dicta superius sunt, auctorum Punctationis mentem nobis ac voluntatem planissime aperiunt, habemusque adversarios etiam confitentes. Qui enim Masorethas fatetur putasse τὸ יהוה mutuari Puncta τ8 אדני, is etiam fateatur necesse est in scriptione id eos facere voluisse, quod se putabant facere. Quare auctores quidem Punctorum eos non habet, quos vocat Masorethas Io. Iac. Schultens viri summi filius haud degener: sed de mente eorum dubitare nos vetat eo ipso loco, ubi caeteroqui nobis adversa-

Digitized by Google

tur, et contendit recte legi *Jehovà*. Scribit enim plane in nostra esse opinione versatos Masorethas *certissime* decerni duobus, quae attulimus, argumentis ductis a ratione Punctorum. V. pag. 40 *De utilitate Dialectorum Orientalium*, Lugduni Batav. 1742, vel *Syllogen Dissert.* ibidem 1772 pag. 359. Sed neque leve illud est, quod adhuc vix innuimus, a religione sumtum Iudaeorum, quos credibile non sit voluisse docere scripto publice, quod privatim voce ne discipulis quidem omnibus tradebatur.

XIV.

Auctoritates ad rem haud paucas Talmudis affert Buxtorfius in Lexico ad vocem יהוה, non vero etiam eas satis omnes explanat; quod nec poterat breviter. Ego ut paucis defungar, unam indicabo Misnam primam Capitis XI.^mi de Synedriis, ubi facta Israëlitis universe certa spe futuri saeculi, cum aliis impiis ab Abba Saule excipitur, qui nomen Dei suis literis effe-

Digitized by Google

rat, ההוגה את השם באותיותיו; addamque antiquiores Misna Iosephum et Philonem; quorum ille Antiquit. II. XII scribit Mosi Deum revelasse *τὴν ἑαυτȣ̃ προσηγορίαν .... περὶ ἧς ὀυ μοὶ ϑέμις ἐιπεῖν*: Philo autem de Vita Mosis l. III *χρυσȣ̃ν δὲ πέταλον .... ἐδημιουργεῖτο τέτ‌ταρας ἔχων γλυφὰς ὀνόματος, ὃ μόνοις τοῖς ὦτα καὶ γλῶτ‌ταν σοφίᾳ κεκαθαρμένοις ϑέμις ἀκούειν καὶ λέγειν ἐν ἁγίοις, ἄλλῳ δ᾽ ὀυδενὶ τὸ παράπαν ὀυδαμοῦ.* Qui quum divinum id nomen ait audire ac proferre fas esse tantummodo in Saerario *ἐν ἁγίοις*, apparet, quod tribuit *μόνοις τοῖς ὦτα καὶ γλῶτ‌ταν σοφίᾳ κεκαθαρμένοις*, id eum non aliis sapientibus coneedere, *ὅτι μὴ τοῖς ἁγνεύȣσι τῶν ἱερέων*, ut suis eum verbis interpreter. Nam Hebraeorum iidem praecipui sapientia habebantur, qui sacerdotio, quippe divinas literas instituto vitae a teneris unguiculis ad senium studiose diu noctuque versantes. Quod vero addit *ἄλλῳ δ᾽ ὀυδενὶ τὸ παράπαν ὀυδαμοῦ*, *praeterea*

nemini prorsus usquam, vetat nos credere Philonis aevo, atque adeo Christi, putasse Hebraeos vulgo magistris docendi causa id licere. Neque enim exceptionis obviae adeo potuisset Philo oblivisci.

XV.

Quare ex vetere admodum sententia profectum Rabbinorum commentum est de Chaninà vel Anania filio Teradionis, doctore caeteroqui sanctimonia ac mortis laude apud ipsos insigni, non tulisse impune quod nomen Dei suis protulerit literis, quamvis non contemtim, neque ad superstitionem, sed reverenter ad eruditionem, studioque rerum divinarum, ut in שערי אורה non procul ab initio memoratur: והנה קדוש עליון ר' חנניה בן תרדיון שלא היה הוגה את השם באותיותיו דרך חול ודרך תשמיש זולתי דרך כבוד כדי ללמוד ולהבין דרכיו ועם כל זה נענש: Quum enim is et Eleazarus, seu Eliezer filius Pratae sub Hadriano ad Romanum tribunal in Palaestina rapti, de suo quisque capite dispari exitu causam

dixerint, sitque Eleazarus mirifice, ut Talmudici autumant, praesenti ope Dei quinque criminibus absolutus, quorum uno, eoque honestissimo, quod divinis literis operam daret, damnatus Ananias sui membranis involutus Pentateuchi, diro cruciatu, quamvis, ut ipsi quidem narrant, martyrio miracula non abfuerint, combustus interiit; supplicio non ereptum sunt interpretati, quo expiaret, quod memoriae proditum noverant, eum ineffabile nomen usurpasse doctrinae quidem causa להתלמד, at propalam כפרהסיא. Lege Ghemaram ע״ז fol. 17 verso et seq. Et putabimus huiusmodi religionis homines adeo sanctae sibi pronunciationis arcanum vocalibus adiectis voluisse docere non populares modo omnes, sed inimicos Hebraei nominis, quoscumque libido incessisset cognoscendi prima elementa sermonis Hebraei?

XVI.

A pluribus abstineo, quae perinde ostendunt ineruditum plane fore id crede-

re. Propero enim ad id, quod consequitur, nempe a punctis non modo non indicari legendum esse *Jehovà*, sed argumentum contra exhiberi unde colligamus alium quemvis potius fuisse eius nominis sonum. Neque enim auctores Punctorum scientes eum prodidissent. At fortasse iam tum verpi omnes ignorabant, quod iamdiu se nescire fatentur [1], quae pronunciatio antiquitus fuerit vocabuli desiti pridem usurpari; adeoque potuerunt aliud volentes, casu ac forte appellationem, quam non noverant, consignare. Quare tantum postulo, ut iam nullum in Punctis, quae sunt adiecta, omnino nullum habeatur momentum ad coniecturam de vera ac vetere pronunciatione, iamque nobis una quaestio supersit, an si Punctis vocabulum ubique careret, lectio tamen esset probabilis *Jehovà*.

---

(1) Vt unum saltem e multis allegem testem, R. Meir Hispanus in *Scevilè Emunà* fol. 13 haec admonet: יש לך לדעת כי זה השם לא היה נודע לכל ישראל איך יהיה הדבור בו ובאי זו תנועה ינוע כל אות מאותיותיו׃

XVII.

Quaestione sic posita incipiamus ab auctoritate veterum Diodori Siculi, Porphyrii, Clementis Alexandrini, Epiphanii, Theodoreti, qui lectiones suppeditant *ἰαῶ*, *ἰευὼ*, *ἰαοὺ*, et *ἰαουὲ*, seu *ἰαβὲ*. At secundam *ἰευὼ* iam sustulit Grabe in notis ad Irenaeum Oxonii 1702 pag. 20. Tertia *ἰαοὺ* omnino videtur ad quartam revocanda. Habetur enim in v.° Stromatum Clementis edit. Oxon. 1715 pag. 666, eo ipso loco, unde sine dubio sunt excerpta, quae legi ipse in codice Ms. L. 6. v. 30 Bibliothecae R. Taurinensis Athenaei, recensito pag. 155, qui *Catenam* exhibet in Pentateuchum, atque ad Exodum de Tabernaculo fol. 260, consignato ad latus nomine Κλήμεντος, sic habet: *Καὶ τὸ τετράγραμμον ὄνομα τὸ μυςικὸν, ὃ περιέκειτο δις μόνοις τὸ ἄδυτον βάσιμον ἧν λέγεται ιὰ ὀυὲ ὃ μεθερμηνεύται ὁ ὢν καὶ ὁ ἐσόμενος*. Pergitque paucis omissis eumdem Clementis locum exscribere usque

ad verba τὸν αἰσθητὸν κόσμον δηλοῖ. Et credo hoc idem esse excerptum ex alio codice editum a Io. Croio parte 1.ª c. 12. *Observationum Sacr. et Hist. in N. T.*, quem laudat Io. Simonis in *Arcano Formarum Nom. H. L.* pag. 545, ubi adnotat: τὸ τετραγράμματον ὄνομα . . . λέγεται Ἰαβὲ, ὃ ἑρμηνεύεται ὁ ὢν καὶ ἐσόμενος, *inquit Clemens Alexandr.* Quamquam varietas est in vocibus adeo paucis multa, quum noster codex perspicuis literis habeat τετράγραμμον, Ια ουε, μεθερμηνεύεται, et ὁ ante ἐσόμενος. Sed ad rem nihil interest, quum idem sit Ἰαβὲ et Ἰαουὲ, ut in nummis ΦΛΑΒΙΟΣ, ΦΛΑΟΥΙΟΣ, Flavius. Crediderim igitur Clementem scripsisse Ἰαουὲ, cuius nominis ultimam literam librarius aliquis omiserit sive praetervisam, quod in vetusto codice iam fere evanuisset, sive praeteritam incogitanter, sive potius damnatam studio, quod quinta non videretur habere locum in nomine, quod τετράγραμμον praedicatur, ubi de tetrade sermo est, neque verbo Graecus

Google

lector admonetur spectare, quae dicuntur, ad literas Hebraeas quatuor, quae idem sonent ac Graecae quinque *'Ιαουὲ*. Restituamus igitur Clementi e duobus excerptorum Mss. lectionem, quae sola potest referre יהוה; quum *'Ιαου* sit יהו, ac tunc probandum, si in Hesychio scriptum esset *'Οζείας, ἰσχὺς ἰάου*, עזיהו, ubi est *ἰσχὺς ἰαώ*.

XVIII.

Sed est *'Ιαῶ* in lib. I. Biblioth. Diodori Siculi, edit. Wesselingii a. 1747. p. 105, ubi ille multos memorans, qui suas sanxerint leges Deorum quopiam auctore nuncupato, Mosem similiter autumat *προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι .... τὸν 'Ιαῶ ἐπικαλούμενον θεόν.* At unde potuit Diodorus discere id numen, cuius se legatum Moses tulerit, appellatum Iao? Inde arbitror, unde est quaestio allata ad Apollinem Clarium, quis Deorum habendus esset Iao. Cui responsum, ut Macrobius refert I.° Saturnalium c. XVIII,

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω·
Χείματι μὲν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ἰάω.

Iam tum aliquid ad Graecos manaverat e commentis Gnosticorum (1) eiusmodi atque illud est apud Epiphanium lib. I. Haeres. XXVI *ἐν μὲν τῷ πρώτῳ οὐρανῷ εἶναι τὸν Ἰαὼ ἄρχοντα, καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ φασὶν εἶναι τὸν Σακλᾶν, κ. τ. λ.* Itaque primi caeli Gnosticis Praeses Iao *ὕπατος θεὸς* indigitatur ab Oraculo. Sed ex Orphicorum disciplina, qui Deorum omnium nomina ad unum eumdemque omnia puta-

(1) Gnosticos non sectae unius homines hic appello, sed studiosos quosvis *γνώσεως τῆς μεταλαβούσης* Iudaicarum ineptiarum a primordiis Kabbalae vel iam tum corruptae, ut Buddeus autumat, cuius omnino legenda adnotatio ad §. XV. *De Haeresi Valentiniana*, vel ab ipso initio statim *ληρολόγου*. Neque Tittmannus *De Vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quaesitis* aliquid affert quominus habendum sit huiusmodi *γνώσεως* in Aegypto studium antiquius aevo Christiano.

Digitized by Google

bant alias, aliter, alibi spectare, habendus idem hieme Dis, Iuppiter vere, aestate Sol, autumno mollis Iao, Iacchus, qui Nonno σκηπτοῦχος ὀπώρης, qui passim ἁπαλὸς, ἡδὺς, ἁβροκόμης etc., qui idem Βρόμιός τε μέγας καὶ Ζεὺς ὁ πανόπτης: ut adeo, quod Macrobius ait, confirmetur Oraculo versus Orphei

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος,

putemque Oraculi voce extrema non Ἰάω repetendum, sed legendum Ἴακχον.

XIX.

Ea ratio ac via commentandi res divinas, quae Γνῶσις appellata est, diu ante Christum natum incepta, atque in Aegypto suscepta a nescio quam multis Hebraeis genere, sermone Graecis, non his quidem plane ignaris Hebraicae literaturae, sed neque admodum in ea versatis, ac nulla prorsus eruditis accurata linguarum disciplina, iam initium fecerat sive desipiendi, sive decipiendi adhibitis ad religionem in-

Digitized by Google

serendam vocibus Hebraicis et Chaldaicis plerisque et interpretatione perversis, et Graeca scriptura. Referta exemplis historia est Haereticorum primi aevi Christiani apud Irenaeum, Tertullianum, Epiphanium. Atque in Gnosticis nugis, quas hic narrat tomo I. pag. 91, Iao unus quidem tantummodo erat *τῶν τξέ ἀρχόντων*, primus tamen; quamquam Irenaeo memorante I. XXXIV pag. 109, priorem Gnostici appellabant *Ialdabaoth: eum autem, qui sit ab eo, Iao, et qui ab eo Sabaoth, quartum autem Adonaeum*, etc. Quare quum prophetas alios aliis tribuerent, priori Mosen, etc., secundo Samuelem, etc. ibi pag. 111, facile intelligitur, qui primum ferrent Iao, ut habet Epiphanius, eos τῷ Iao tribuisse Prophetam Mosem, adeoque non absurde ab horum commentis repeti ac derivari verba Diodori.

XX.

Neque aliunde, opinor, est nomen Iao in Porphyrii testimonio de Sanchuniathone, quod vera scripserit εἰληφὼς τὰ ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως τοῦ θεοῦ Ἰαὼ, ut est apud Theodoretum, edit. Paris. a. 1642. Tom. IV. pag. 493. Neque enim a libris Sanchuniathonis, si quos Philo Byblius habuit Phoenicia scriptura, adeoque eiusdem rationis atque Hebraica sine Punctis, amplius aliquid disci poterat, quam quibus literis constaret nomen eius Numinis, cuius fuerit sacrificulus Hierombalus. Neque eiusmodi per se lectio est *Iao* literarum יהוה, ut eamdem complures a nemine acceptam ipsi sua sponte censendi sunt usurpasse.

XXI.

Quare quod cuiquam verisimile videri possit, unum reliquum est, voluisse tamen graecis literis scribere יהוה, qui primus in gnosticis commentis scripsit Ἰάω;

Digitized by Google

quamquam hoc Origenes [1] sumtum putat a יה, a quo propius abest, proximum finali compositorum יהו; illud scribendum saltem erat *ιανω*; et quamquam postea nominis *Iao* alia origo ac ratio, alia vis vocabuli et usurpatio est a Gnosticis tradita. Vide Irenaeum adversus Haereses I. VII. p. 20, ac Tertullianum *de Praescrip.* XLIX edit. a. 1675 p. 222, et *adversus Valentin.* XIV p. 256, quaeque ibi Rigaltius adnotat: non enim exscribam ne longius abducar interpretando, quum caeteroqui satis sit monere ignorabilem fuisse Hebraeis, qui operam *τῇ Γνώσει* dabant in Aegypto, pronunciationem, a qua iam abstinebat omne genus, ut de hac omnis eo-

(1) V. *Contra Celsum* lib. VI. edit. Cantabrigiae 1677 pag. 297, ubi omnino legendum *ἀπὸ δὲ τῶν* 'Εβραίων *γραφῶν τὸν* Ιαω, Ια *παρ'* 'Εβραίοις *ὀνομαζόμενον*. Nam quod ibi in *Annotationibus* pag. 81 Grotius refertur censuisse legendum 'Ιάω ἢ 'Ιὰ, hoc inde refellitur, quia intruso ἢ, ut 'Ιὰ non sit Iudaica vox, ex qua Gnostici fecerint 'Ιάω, quum dixerit modo Origenes esse nomen sumtum a libris Hebraeis, ineptum evadit additamentum *παρ'* 'Εβραίοις *ὀνομαζόμενον*.

rum futilis esse intelligatur auctoritas. Atqui verisimile omnino est ab hac una, adeoque ambigua auctoritate eas omnes esse profectas, quibus probari putarunt Capellus, Clericus, alii legendum esse יֶהֱוֹה, יַהְוֹה *jahvò*, repugnante licet linguae ingenio, quo *cholem* τȣ̃ יפקד mutatur in *seghòl* τȣ̃ יגלה, Chaldaeis יגלי.

XXII.

Videndum igitur tandem nihilone sit probabilior, quae una superest ab antiquitate lectio Ἰαβὲ, Ἰαουὲ, cuius iam testem produximus Clementem, et laudandos praeterea habemus Epiphanium, et Theodoretum. Epiphanius Palaestinus ipse, et Patrum unus in rebus Hebraicis eximie curiosus Tom. I. pag. 296 in Nominibus divinis recenset diserte atque interpretatur *τὸ Ἰαβὲ, ὃς ἦν, καὶ ἐςὶ, καὶ ἀεὶ ὢν· ὡς ἑρμηνεύει τῷ Μωϋσῇ, ὁ Ὢν ἀπέςαλκέ με, ἐρεῖς πρὸς ἀυτȣ̃ς*. Exod. III. 14. Theodoretus autem etiam disertius Tom. I. p. 86 postquam monuit nomen

ἄφρασον ideo appellatum, quod Hebraei vetarentur ore proferre, et *τετράγραμμον*, quia quatuor scriptum literis, id nomen ait Samaritas appellare *Javè*, Iudaeos *Αἰὰ*, *καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβὲ*, *Ἰουδαῖοι δὲ Ἀϊά*. Quae patet eum neque a Clemente sumsisse, neque ab Epiphanio, sed qui Syrus esset ac finitimus, ipsum a Samarita audisse Iavè, deceptum autem a Iudaeo, qui vel synonymum protulerit אהיה, vel suis vetitum dixerit usurpare חי יה, sibi vetitam significare volens iurandi solemnem illam formulam חי יהוה. Nam in verbis Theodoreti neque alioquin Ἀϊὰ mihi videtur emendandum, et itidem legitur in superius memorata Catena in Pentateuchum codicis nostri L. 6. V. 30 fol. 184.

XXIII.

Quod vero ab ipso pronunciatio *Javè* habita sit propria Samaritarum, quum iam communis nulla esse posset cum Iudaeis, qui nulla uterentur, inde nequit colligi

illam eamdem non esse, quae olim fuerat Hebraeorum. Quam vix dubitari potest quin Samaritani primum audiverint anno circiter ante Christianam aeram 675 a sacerdote, qui a captivitate Assyriaca redditus patriae, ut novis incolis traderet *legitima Dei terrae*, in Bethel redux *docebat eos quomodo colerent Dominum*, איך יראו את־יהוה, IV. Reg. XVII. 24-28. Atque itidem primus fani Samaritici Pontifex Manasses, antea Hierosolymis sacerdos ipse, ac summorum Pontificum filius ac frater, planissime, ut hi, non modo poterat, sed censendus est recte protulissse יהוה, quum adhuc id nomen in benedictione sacerdotali Hierosolymis usurparetur; quod non trecentis ante Christum annis, si Talmudicis credimus, desitum est inde ab obitu Simeonis Iusti, ut traditur in יומא fol. 39 verso, ומת ונמנעו אחיו הכהנים מלברך בשם, quae in margine interiore glossa illustrat Isacidae מלברך ברכת כהנים את העם בשם המפורש. Quare quum postea quae a Iudaeis novarentur, non susciperent Sama-

ritani, si recte hi semel initio instituti sunt appellare יהוה, eam tenere appellationem, vel nosse certe aevo Theodoreti adhuc poterant; quamquam ab ea nunc quidem ipsi etiam abstinent, eius loco adhibentes الاسم, שמא, השם, *nomen* scilicet illud religiosissimum, quod quisque ne ore haud satis puro, pioque efferat, vereatur.

XXIV.

Si qua igitur huius pronunciatio est veterum auctoritate probabilis, ea est *Jahvè;* est enim adspiratio inserenda, quam in mediis vocibus scriptura Graeca non recipit. Hanc igitur iam expendamus ad trutinam sermonis Hebraei; quae nunc quidem rescribi Hebraice propemodum aeque potest יַהְוֶה, יִהְוֶה, quum passim ubi nunc in Hebraicis est *chirèk,* Graeci ac Latini veteres habeant *a*.. Nunc vero in verbis quidem futuri temporis huius formae id sane interest, quod cum *chirèk* necessario referuntur ad קל, ut grammatice loquimur, cum *pathach,* ut pluri-

Digitized by Google

mum, ad הפעיל. Sed in nominibus nihil videtur interesse, quum habeant *pathach* יהלום, ילקוט, ינשוף. Quare vel indefinita prima vocali nomen habemus eiusdem plane formae atque alia multa item propria, יצחק Isaac, יעקב Iacob, יפתח Iephte, יבנה Iabnia (II Paral. XXVI. 6) modo teneamus I.um exemplis affatim derivatis ab אוה, דוה, הוה, חוה, טוה, כוה, לוה, נוה, עוה, צוה, קוה, רוה, שוה, תוה certum esse mediam ו ante ה moveri plane, ut media verbi perfecti; 2.um propter primam ה omnino, ut legimus אֱהֱלֹךְ *ibo*, יַהֲלֹךְ *ibit*, אֱהֱפֹךְ *evertam*, יַהֲפֹךְ *evertet*, אֱהֱרֹג *interficiam*, יַהֲרֹג *interficiet*, optime coniugari אֱהֱוֶה *ero*, יַהֲוֶה *erit*, ideoque nihil esse ad grammaticam rationem praestabilius, quam ut etiam nomen Dei scribamus יַהֲוֶה, יַהְוֶה.

XXV.

Sed scrupulus est eximendus, qui molestus esse imperitioribus potest in mutatione Punctorum, ubi compositis inchoandis ex יהוה fit יְהוֹ. Quocirca animadver-

tendum est itidem, ut ex יְחֱזַק אֵל, prima vocali scevateque transpositis, fit יְחֶזְקֵאל, ex יְהֱוָה נָתַן e.g. effingendum יְהוֹנָתָן, omissa quiescente ה, de qua nihil ambigitur. Contrahi deinde הַוְ in הוֹ, ut in מוֹתוֹ pro מַוְתוֹ. In fine autem, retracto accentu, ut ex יִשְׁתַּחֲוֶה fit וַיִּשְׁתַּחוּ, et vel parva in mora וַיִּשְׁתָּחוּ, Ios. v. 14, Isa. XLIV. 15, itidem ex זְכַר יְהֱוָה fit זְכַרְיָהוּ, et quae alia multa similiter desinunt. Quae quum eadem passim habeantur sine ו, זְכַרְיָה etc. mihi quidem minime dubium est quin Dei nomen יָהּ ex יָהוּ sit ortum per apocopen pro יהוה, repugnent licet Cocceius, Gussetius, aliique aliquot. Nam quae de *mappìk* disputat Cocceius, ut derivet a יאה, indigna sunt eius caeteroquin egregia in his literis doctrina, quum vel in exemplis ab ipso laudatis ה cum *mappìk* litera sit *radicis* secunda, constanter ipsa mobilis, ut in agnatis dialectis eadem adspirata, non vero tertia quiescens, peculiaris Hebraeorum, ubi Chaldaei, Syri, Arabes habent א, ו, י. Quod autem simul utrumque

nomen יה יהוה legi memorat duobus locis, prioris, Isai. XII. 2, dubia omnino scriptura est (v. I. B. De Rossi Varias Lect. tom. III. p. 14) ac deest יהוה tum in Cantico Mosis, cuius versiculum Exod. XV. 2 totum recinit Isaias, tum apud Psalten, qui eumdem et ipse assumsit Ps. CXVIII. 14. Sed si placet, ut est editum in Isaia, tene modo verba, et זמרת יה, non זמרתי יה, ne interpreteris *canticum meum est Dominus*, sed tantum *divina cantio, summa gloriatio, laus digna maxime celebrari*, ut Cant. VIII. 6 שלהבת יה *flamma ingens*, flagrantissima; omnia erunt plana.

XXVI.

Difficilior est locus alter Isa. XXVI. 4. ביה יהוה צור עולמים. Neque tamen vel lectionem sollicitabo cum Houbigantio ac Lowtho, vel nodum praecidam interpretatione I. D. Michaëlis *Supplem. ad Lexica Hebr.* p. 173, ubi sumto a Syria verbo ביה vertit *solatio est Jehovà, petra aeterna*, ut Ps. LXVIII. 5 ביה שמו *solatio est*

nomen eius. Sed quod contra me maxime videtur facere, ponam esse in his ב periphrasticum apud Arabes creberrime consignans nomen *praedicati* nobis vertendum casu recto, *Jah est nomen eius; Jah est Jahvè, praesidium aeternum*. Sed aio propriis nominibus aliquam interdum significationem adiungi accedentem sive ab etymo, sive aliunde; ac tunc non inepte dici verbi causa Pium Pium, qui suo sit dignus nomine, Fabium Fabium, si quis alter nomine Fabius post multas suorum ante se ducem clades, perinde atque olim Maximus, rem cunctando restitueret. Est autem in periphrasi praefixi ב vis quaedam asseverandi, propter quam ab Alberto Schultens dicitur *emphatica circumlocutio*, ad Iob. XXIII. 13. Itaque dixerit Isaias *Jahvè is profecto est, qui recte vocetur Jah.* Ac si respexit ad veriverbium, quum יה idem ac יהוה sit *numen eternum*, sententia Isa. XXVI. 4 erit *Domino usque et usque fidite; quia Aeternus nomine, revera aeternus est, munimen omnis aevi*. Sed su-

spicor aliam nomini יה significationem accessisse a solemni הללויה gestientium atque exsultantium in actione gratiarum, quum Iah conclamantes adsuescerent meminisse beneficiorum Dei, cuius praesidio staret Hebraea res, hostes profligarentur: adeoque id nomen appellationem quodammodo evasisse Dei Sospitatoris. Ac certe ita veteres Graeci interpretes Isa. XXXVIII. 11 verterunt יה, יה *τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ, τὸ σωτήριον τοῦ* Ισραήλ. Et Cyrillo teste *Ἰάω τὴν σοτηρίαν* Ἑβαῖοι *ἔλεγον*. Itaque foret ביה יהוה *Jahvè sane est ille Jah, quem sospitatorem ovantes celebramus.*

XXVII.

Sed haec obiter, quae nunc quidem nostra nihil intersunt, modo teneamus in compositorum quum initio, tum fine grammaticam rationem constare, qua יְהוֹ, יָהוּ fiant ex יֱהֱוֶה, atque hanc esse formam nominis similem tertiae personae futuri sing. masc., cuius prima sit אֱהֱוֶה. Quae ipsa quidem in Bibliis Heb. nusquam occurrit, sed

eiusdem verbi habemus imperativum הֱוֵה usurpatum ab Isaaco Gen. XXVII. 29, et quinquies alibi Hebraice adhibitum idem verbum הוה, alias היה, quamquam in eo media *vau* est potius dialecti Aramaeae. Sed a verbo simili antiquissimum aliud cxstat exemplum derivati proprii nominis cum *vau*, a חיה nempe חַוָּה, Eva, Gen. III. 20. Quare nihil absonum in Hebraica saltem dictione exsisteret, si quis scriberet Deum jam ab Adamo vocatum *Jahvè*, quippe qui aeternum sit is, qui est. ויקרא האדם שם האלהים יהוה כי הוא יהיה אשר יהיה מעולם ומקדם לעולם ועד: Atque ubi tertio Exodi capite Deum legimus praecepisse Mosi, ut Israëlitis diceret v. 14 אהיה *Ehjè me legavit ad vos*, ct v. 15 יהוה *Jahvè Deus avorum* etc. *me legavit ad vos*, nominis ratio, non secus ac si vel in priore loco esset scriptum אהוה, vel in altero יהיה, plana ac perspicua emicat. Quumque in nominibus neutiquam persona spectetur, quae in verbis cernitur, loquentis, audientis, tertia, nullo discrimine signifi-

cationis יהוה, perinde atque אהיה ex vetere interpretatione erit ὁ ὤν.

XXVIII.

Exquisitior interpretatio, at non verior est ὁ ὀντωτὴς, Graeci Interpretis, cujus habetur codex unicus in Veneta Bibliotheca S. Marci, atque inde editus Pentateuchus a Chr. Frid. Ammon Erlangae a. 1790. In quo tametsi Exod. III. 15 et plerumque alibi יהוה est ὁ ὀντωτὴς, interdum tamen est ὁ ὀντȣργὸς; unde mens patet interpretis eadem, quae Paraphrastae Hierosolymitani ad Exod. III. 14 explicantis דין דאמר לעלמא הוי והוי ועתיד למימר ליה הוי והוי, h. e. *qui dixit mundo esto, et fuit, eidemque dicet esto, et erit;* et certior evadit forma vocabuli non penacuta, ut *δεσμώτης, ἡλικιώτης, ἰδιώτης*, sed quae a verbis derivata respondet Latinae in TOR, designatque effectorem, de qua Eustathius ad Iliadem pag. 533, *τὰ ἐις* ΤΗΣ *ῥηματικὰ, ὑπὲρ δύο συλλαβὰς, φύσει μακρᾷ παραληγόμενα, ὀξύνεται*. Pa-

tetque fingendum, ut ab ἓν ἑνὸς, ἑνόω, ab ὢν ὄντος, ὀντόῳ, ὀντοῦμαι, ὤντωται, ex quo fiat grammatice ὀντωτὴς, ut ab ἐζήλωται ζηλωτής. Quumque ita ὁ ὀντωτὴς sit הַמְהַוֶּה, existentiae auctor atque largitor, a quo, et per quem fiat, ut quae sunt, sint, huic etiam congruit interpretationi *Jahavè,* quod grammatice potest etiam verti *facit esse,* prorsus ut יעלה *facit ascendere,* etsi plerumque אֶעֱלֶה, יַעֲלֶה, est *ascendam, ascendet*. Sed jam vereor ne tirunculis videar scribere; nimiumque morari in his, quae probabilem efficiunt appellationem *Jahvè,* quum quaestionem ipse instituerim, an Punctis vocabulum si careret, lectio tamen esset probabilis *Jehovà*.

XXIX.

Quare quae pro hac dici possunt, iam tandem expendamus. Io. And. Danzius in *Literatore Hebraeo-Chaldaeo,* in Praefatione ad Paradigmata Nominum, data a. 1709, sumens uti certum יהוה stricte ac

praecise idem esse, atque Apoc. XVI. 5 ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐσόμενος, *ut essendi,* inquit, *significatio literarum* הוה *enunciationem postulat; ita triplex illa essendi differentia, praeter literam jod futuri indicem, cholem ad primam radicalem, et kameʒ ante ultimam* ה, *illud quidem ut praesentis, hoc ut praeteriti indicem, urget infallibiliter.* Ratio non ab analogia nominum ducta similiter derivatorum, sed a commentis grammaticae institutionis, probari adolescentulis in ludo literario potest, non vero etiam viris, qui linguarum ingenium atque incessum, ut ita loquar, diuturna atque erudita animadversione probe habeant cognitum. Quare ut eodem perveniret, aliam iniit viam Matthaeus Hillerus in *Institutionibus L. S.* editis a. 1711 pag. 572, ubi componit יהוה ex יְהִי הֹוֶה הָוָה; at non Hebraico magis more quam Latino a *fuit, est, erit, Fuserus* fieret nomen Dei.

XXX.

Bis capite I.° Apocalypseos v. 4, et 8, certissima scriptura est ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος; tum IV. 8, ὁ ἦν, καὶ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. At XI. 17 Mss. codices plerique habent tantummodo ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, ut etiam complures veteres interpretationes. Editi autem Graeci fere omnes Latinae Vulgatae consentiunt addenti καὶ ὁ ἐρχόμενος. Sed cap. XVI. 5 et Vulgata habet tantum *qui es et qui eras*, et conveniunt Syrus, Coptus, caeteri, et Graeci, quum editi, tantum non omnes, tum manuscripti omnes, uno excepto, qui addit ὁ ἐσόμενος. Huius tamen unius additamento nititur Danzius; quod perperam multis placuit, qui neque mentem Ioannis, neque usum verbi ἔρχομαι in N. T. satis perpenderunt. Ὁ μέλλων αἰὼν, העולם הבא, ὁ αἰὼν ὁ ἐρχόμενος est Marco x. 30, Lucae XVIII. 30; atque ἔρχεται, Matth. XVII. 11, Elias, qui, XI. 14, ὁ μέλλων ἔρχεσθαι, עתיד לבוא. Eximie vero ὁ

Digitized by Google

ἐρχόμενος Christus intelligitur, quum exspectatus olim, Matth. XI. 3, tum venturus iterum, Epist. ad Hebr. x. 37. Quo etiam Ioannes Apoc. I. 4, et 8 sine dubio respexit, qui v. 7. scribit ἰδοὺ ἔρχεται μετὰ τῶν νεφελῶν, ac venturum Dominum saepe ingeminans, totoque libro id maxime intendens, ut eius expectemus adventum, concludit: Λέγει ὁ μαρτυρῶν ταῦτα· Ναὶ ἔρχομαι ταχύ. Ἀμὴν· ναὶ ἔρχου, Κύριε Ἰησοῦ.

XXXI.

Sed estò יהוה *qui fuit, est, et futurus est.* Ipse Danzius verba affert ex *Scemòth Rabbà* אני שהייתי ואני הוא עכשיו ואני הוא לעתיד לבוא Buxtorſio interprete, *Ego qui fui, et ego idem nunc, et ego idem in futurum*. Atqui haec ad Exod. III. v. 14 R. Isaaci interpretatio est τῦ *Ehjè* ibi ter usurpati [1],

(1) Vt res pateat, habe locum integrum edit. Solisbacensis a. 1755 fol. 93 verso, col. 1.ª, lin. 47. רבי יצחק אמר א"ל הקב"ה למשה אמור להם אני שהייתי ואני הוא עכשיו ואני הוא לעתי' לבוא לכך כתיב אהיה שלשה פעמים׃

Digitized by Google

in quo neque *cholem* habetur temporis index praesentis, neque vocalis ulla praeteriti. Ac nihilo secius etiam Bechaiaeus, interpres inter suos egregius, postquam *Ehjè* recte explicavit ראוי המציאות, *cui convenit existentia*, admonuitque et ipse ter haberi in eodem versu, ut tria tempora cogitaremus, praeteritum, praesens, futurum, haec tria nihilominus vel solum nomen *Ehjè* sua significatione complecti autumat, edit. Venetae 1544. fol. 70, col. 1.ª ושם אהיה לבדו כולל שלשה זמנים הללו כי מלת אהיה כולל הזמן ההוה ופירושו כאלו אמר אני הווה וכולל גם כן לעתיד וכולל גם כן לשעבר Cuius ratio, quod quae forma futuri grammatice est, complectatur הזמן ההוה, *tempus praesens,* cum annotatione congruit Iohannis Simonis in *Arcano Formarum* (z) pag. 545, ubi eamdem addit *nonnunquam participii vim obtinere, adeoque saepius adhiberi de re continua et permanente,* atque ideo ibidem §. XVII ipse docet nomina initio aucta per א, aut י indicare *continuitatem, durationem, stabilitatem, firmam-*

Digitized by Google

que quamdam subsistentiam. Quid vero haec utraque aucta in specie differant inter se, compertum nondum se ait habere, *quod sensu eodem dicatur* אובל, *et* יובל, *flumen perenne*, אהיה, *et* יהוה, *Aeternus*. Haec an omnia satis ab ipso deinde sint exemplorum inductione confirmata, non moror. Illud teneo, quod certum, vel *Ehjè*, quamvis sine *cholem* ex participio, sine vocali ulla ex praeterito, explicari tamen grammatice potest *qui fui, sum, et ero*, vel nequit. Si nequit, neque יהוה explicari grammatice debet *qui fuit, est, et erit;* si potest, item potest *Jahvè*.

XXXII.

Atque haec eo spectant, ut omnis acies argumenti Danziani planissime retundatur. Nam equidem, quod simplicius, id malo, nulla ratione habita discriminis temporum absolute nomen utrumque interpretari τὸν ὄντα; quandoquidem qui nullo respectu ad tempus ullum definitum nuncupatur *Existens*, is semper existens

intelligitur praedicari. Atque in nominibus non spectari tempus, quod in verbis, res certa, atque omnium linguarum est: illud Hebraeis peculiare, quod una atque eadem aliqua eorum vox nomen saepe sit, quae alias verbum est, huiusque aut prima, aut tertia futuri. De Deo autem illud tralatitium, quod neque loco, neque tempore definitus, fuerit, sit, erit, שאינו מוגבל לא במקום ולא בזמן אלא היה והוה ויהיה, ut verba sumam ex libro apud Judaeos in primis celebri מערכת האלהות R. Perez ed. Ferrariae 1558 fol. 5.

XXXIII.

Caeterum sunt, qui legant Jehovà, neque tamen commentum probent de assumtis vocalibus a participio et praeterito. Ac visum est Io. Ia. Schultensio, et, credo, etiam eius patri, harum tunc principi literarum; simplici sane derivatione habendum יְהָוֶה nomen a futuro formatum speciei *Pohèl,* ad quam fingenda erit tertia praeteriti masc. הָוֶה. Vide *Syllogen Dis-*

sertationum Philolog. Leidae 1772 pag. 359. Sed haec species, sive coniugatio *pohèl* et alias rari admodum usus est, et nihil affertur, unde fiat probabile fuisse tamen usurpatam a radice הוה; neque ratio ulla suppetit, cur ab ea specie ducendum fuerit nomen Dei, neque cur eius ultima vocalis non sit *seghòl*. Quare agnosco equidem politioris institutionis commentum, quod non aspernarer, si lectio esset alioquin certa *Jehovà*, at eo fieri ipsam probabilem non puto.

XXXIV.

Videndum igitur an aliquo saltem fulcita sit antiquitatis testimonio. Ac Danzius quidem indicium eius haberi autumat e Talmudistarum collatione, *qua contendunt, blasphemantem illum, viri Aegyptii e matre Israëlitide filium* (Levit. XXIV. 10) *nomen illud a Deo ipso didicisse* (a quo scilicet audierit, quum e Sinai toti populo edixit Legem) *neminemque blasphemiae aeque reum fieri, nisi id similiter pronun-*

ciarit ad sonum יוֹסָה. Haec in eadem superius memorata praefatione vir in his literis praecipuus: neque ad argumentum plura, nisi quod loca inspicienda indicat in inferiori margine. De quibus ut iudicium fiat, incipiendum est a Misna v.ª capitis vii.[1] codicis *Sanhedrìn*, quam in Talmude invenies initio fol. 56 inceptam in fine praecedentis, in *Mischna* vero Guil. Surenhusii T. iv. p. 242. In ea blasphemus lapidibus obruendus is dumtaxat perhibetur, qui contumeliose ipsum nomen usurpasset Dei. At non propterea esse id nomen saepius in causa auditum, sed nomine ficto eius exsecrationem significatam, donec semel tandem, causa caeteroqui iam cognita, maior natu testium iubebatur verba ipsa referre, quae audisset. Qui quum nomen violatum convicio memorabat, adsurgebant iudices, amictumque conscindebant; ac tum altero, ac tertio deinceps testi opus modo et fas erat dicere se idem audisse. Dicis autem gratia indicium blasphemiae in contestatione involutum prin-

cipio his verbis traditur יכה יוסי את יוסי *percutiat Jose Josen*. Enimvero ubi haec eadem verba habentur in *Siphrà* seu Toràth *Cohanìm* fol. 53 col. 1, atque in Talmude Hierosolymitano eiusdem codicis Sanhedrìn, ac capitis ארבע מיתות *halachà* 10.ª non יוסי, sed יוסה scriptum est. Hinc Danzii coniectura, quam vellem explicuisset ipse; quum equidem, quo ea fiat probabilis, neque in *Siphrà* quidquam inveniam, neque in *Ghemarà* Hierosolymitana aut Babylonica, neque usquam alibi.

XXXV.

Nam de interpretatione disputatur verborum Misnae עד שיפרש השם, quum Deus appellari Hebraice possit vel בשם המיוחד, nomine proprio, vel בכנוי *becchinnùi*, *ἀντονομασίᾳ*, adscito quasi agnomine ab aliquo e divinis attributis, e. g. הגדול, הנורא, חנון, רחום, קדוש ישראל. Ac R. Meîrus, antiquus ille misnicus, censuit blasphemum, eum etiam, qui non nisi cognomento, בכנוי, Deum in maledicto significasset, coniectis

lapidibus nihilominus occidendum. Sed contra plerique omnes contumeliam divinorum cognominum, *chinnuſim*, putant כאזהרה, *admonitione* tantummodo castigandam, eum solum חייב סקילה, lapidandum, qui Deo maledixisset proprio Dei nomine usurpato, שיברך שם בשם, ut in principio est Ghemarae fol. 56. At propria Dei nomina etsi R. Meir Hispanus in *Scevilè Emunà* fol. 14 tria tantum habet יהוה, אהיה, יה. caetera omnia *chinnuſim*, propria tamen Iudaei plerique autumant caetera etiam, quae semel scripta delere ipsis item religio est, אדני, אל, אלהים, אלוה, שדי, quin multorum sententia etiam צבאות. Quapropter Maimonides capite 11.° הלכות ע"ז, his nominibus qui maledixerit, lapidibus interficiendum arbitratus, *halachà* 10.ª significat verbis בשם מן השמות שאינם נמחקים, quod *halachà* 12.ª verbis consignat בשם מן השמות המיוחדין.

Digitized by Google

XXXVI.

Qui quamvis primo ac praecipue blasphemum condemnat nominis אדני, fatetur ipse tamen Doctorem aliquem statuere unum esse nomen יהוה, cuius convicium sit capitale. Atque in Ghemarà huius eiusdem Misnae *Sanhedrìn* fol. 60 Rav Achà filius Iacobi traditur docuisse tunc solum fieri quempiam reum, quum maledixerit nomini quatuor literarum; unde colligas absolvendum, qui nomini maledixerit duarum. Qua de re subtilem non suscipiam disputationem, primum an momenti aliquid insit in verbis Misnae *Jacchè Josè eth Josè*, quae tralaticia dixeris pro usu vulgari loquendi ad explanationem exempli gratia usurpata, מילתא בעלמא הוא דנקט, adeoque non urgenda argutando ad doctrinae subtilitatem; et nihilo minus argumento habentur tamquam certo consilio ideo adhibita, ut sub nomine quatuor literarum יוסי latere nomen intelligeretur Dei, quod sit totidem literarum. Tum vel

hoc si detur, rectene inde eliciatur non interficiendum, qui maledixerit nomini יה; quasi vero non potuerint Doctores Misnici nomini divino subindicando nomen propterea quaerere quatuor literarum, quia totidem habet appellatio usitatissima in codice יהוה, in ore אדני, quamvis caeteras, quae dignitate sint pares, eiusdem iuris haberent, adeoque censerent eodem supplicio maledictum vindicandum divini cuiusque nominis item proprii, peraeque sancti, praesertim quod sit etiam ipsum שם ההויה, *nomen essentiae*, sive id quatuor itidem literarum אהיה, sive duarum יה, quod idem Iudaeis est ac יהוה, huius nimirum dimidia prior pars, quae per se ubi usurpatur, posteriorem significatione complectens, par est toti, ut diserte explicatur in libro a me iam laudato, atque in primis celebri שערי אורה mei codicis fol. 165, חצי חשם הראשון שהוא יה אפשר לו להקרא בפני עצמו . . . וכשאתה קורא יה הרי גם חצי השם האחרון נכלל בו . . . וחציו כבולו: Ac brevius R. Meir. b. Gabbai, ס' עבודת הקודש fol. 17,

הרי יה חצי השם ככל השם: Neque tamen de sententia Talmudicorum, מה תלמוד לומר, satis equidem certus sum. Verum illud planum, inesse nihil de nominum vocalibus, aut soni similitudine.

XXXVII.

De qua nihil etiam Talmudis interpres Isacides Salomo in margine interiore incipientis folii 56. Qui putat ideo etiam adhibitum nomen יוסי, quod arithmeticus literarum eius valor idem sit ac literarum אלהים; quod item admonent Bartenora ad Misnam, R. Chajimus ad *Siphrà*, itidemque Scholion in *Jalkut* Simeonis Venet. 1566. fol. 190 col. 1.ª פירוש יוסי בגמטריא אלהים Et revera utrumque arithmetice notat 86; quod alias contemnendum, ideo refero, quia ostendit iamdiu potiorem habitam scripturam ultima *jodh*, ut plerique habent: quamquam adscisci inusitatior scriptura potuit per ה, ut non prima tantum litera, sed et ultima referret יהוה.

XXXVIII.

Caeterum tam יוסי, quam יוסה unum est idemque nomen, quod scribi quidem Graece potuit Ἰωσῆς, Matth. xiii. 55, etc. ut משה Μωσῆς, Matth. viii. 4; Latino tamen Vulgato plene ubique est Joseph. Atque idem Talmud Hierosolymitanum, quod in memorata Misna *Sanhedrìn* fol. 24 col. 1.ª habet יכה יוסה את יוסה, habet interdum ר׳ יוסה Rabbi Josè, uti proxime in huius ipsius Misnae Ghemarà fol. 25, col. 2.ª Neque literae variatio digna animadversione visa est interpreti libri *Siphrà* Abrahamo ben Chajìm fol. 263. 2 sui *Korbân Aharòn*, quamvis ubi in textu ipse habet יוסה, in commentario scribat constanter יוסי. Ac profecto neque nostrum aliquis in Juris commentario aut rerum divinarum adnotaverit sicubi Ptolomaeus scribatur, aut Tyberis, qui rectius Ptolemaeus ac Tiberis.

XXXIX.

Mirum autem quod Danzio visum sit credibile, in libris, ubi nulla usquam literis additur vocalium nota, pronunciationi, quam vult, indicandae fuisse quaesitum symbolum, aut certe idoneum a Magistris habitum יוסה; quasi vero recta huius foret, ac nota vulgo appellatio *Josà*, aut usquam cum *Kamez* vel semel exsisteret, ut 1. Par. IV. 34 יושה *Joscià*. Quod יושה si propterea non adhibitum diceret Danzius, quia minus memorabile, satis certe erant obvia יונה, יואב, יואש, יורם, יותם, si cui fortasse non succurrisset avus Samuelis ירחם *Jerohàm*, aut aliud quodpiam nomen proprium congruens vocalibus cum שלשה.

XL.

Sed religione, ut post videbimus, inutili susceptam sententiam avebat Danzius quoquo posset pacto aliis approbare. Quamobrem aliquid etiam elicere se posse sibi

Digitized by Google

visus est a verbis quibusdam Severi Antiocheni, de quo videsis Renaudotium in Historia Patriarcharum Alexandr. pag. 129. Eius autem haec habentur verba in *Catena Patrum Gr. . . . in S. Ioannem* edita a Balth. Corderio Antuerpiae a. 1630. Ἰωβὴλ γάρ ἐςιν ὡσανεὶ διπλασιαζόμενος ὁ Θεὸς, ὁ Θεός. Ἰωὰ γὰρ καὶ Ἐλὰ παῤ Ἑβραίοις ὁ Θεὸς ὀνομάζεται. Vbi aliquid humani passus editor, nescio quomodo pro *ὡσανεὶ*, *velut, quasi*, *ὡσαννεὶ*, atque inde *Hosanna*, quamvis inopportunum, ingerens, vertit somniculose: *Jubil enim est Hosanna geminatum, id est, Deus, Deus; Jehova enim et El apud Hebraeos Deus appellatur.* Qui quum lapsus emendantem fefellerit Ioannem Martianay edit. Hieronymi Tom. II. col. 357, 358, Danzius inde perperam et ipse vertit: *Jobel enim glorificandum geminatum Deus, Deus: Ἰωὰ enim et ἠλὰ apud Hebraeos Deum sonat* utrumque. Sed quod ex *ὡσανεὶ* fecerit *glorificandum*, nostra nihil refert. Quod autem optat credi Severum ideo scripsisse

ἰωὰ, quia nominis יהוה *legitimum* sonum a Iudaeis, in Palaestina quoniam aliquandiu degit, audierit, id enimvero a nemine potest credi, qui meminerit quot, quibusve testibus, etiam Christianis, etiam incolis Palaestinae, certum sit iamdiu ante hunc Severum nomen id *ἄφραςον* fuisse, atque *ἀνεκφρώνητον*. Nihil habet Severus, quod non facile in mentem veniat homini, qui legerit, quae de Nominibus divinis, deque inde compositis commentati sunt Origenes, Epiphanius, aliique passim Patres Graeci. Hebraice doctus ipse certe non fuit, quem fugerit se de יוכל dicere, quae pertineant ad יואל. Neque diligens admodum atque curiosus *φιλολογουμένων* huiusmodi adnotator censeri potest hoc specimine; neque tamen vir caeteroqui doctrina, scriptis, auctoritate sexto Ecclesiae saeculo Monophysitarum facile princeps, ignarus adeo aut socors est existimandus, ut si tam illustris arcani a nemine adhuc proditam sanctissimi Nominis appellationem a quoquam He-

Digitized by Google

braeo primus ipse accepisset, negligeret, ubi utitur, admonere unde didicisset. Quare scripserit ipse revera 'Ιωὰ, ἐλὰ; utriusque vocabuli sonum Hebraicum perinde ignorasse dicendus est.

XLI.

Sed novitatis notam ut eluant pronunciationis *Jehovà*, nullum non movent lapidem, dumque aliquid dicere videantur, nihil quidquam habent pensi quidam eius propugnatores. Quare, si credimus Ambrosio Dorhout, *Animadversionum in Loca selecta V. T.* Traiecti a. 1768 pag. 230, *in Versione Vulg. Ps.* 8: 1, *et Ps.* 110: 1, *totidem literis Jehova occurrit. Et in* Ezra *Apocr. Cap.* 7: 28, 29, 30. *it.* 6: 11. c. 12: 7. 13: 71. *it.* 15: 21. Neque tamen vel semel in his quidem libris, si vel millies totos legeris, invenies. In caeteris autem Galatino antiquioribus sicubi a scriptore ipso est, ut semel, puto, in Pugione Fidei Raimundi Martini edit. Paris. p. 448, Lipsiensis p. 559, non pronunciationem re-

fert, qua Scriptor uteretur, sed Latinis literis Hebraicam scripturam. Non *Adhonàj* vel quum iis locis adhibetur, ubi codex Hebraeus habet יהוה, nequit non semper esse nomen aliud; et locis illis iamdiu Punctorum additamento Hebraicam scriptionem exhibere *Jehovà*, scimus, fatemur omnes: at huius vocabuli usurpandi, ubi scriptio exhibet, institutum, novitatis incusamus. Neque vero dubia novitas est, nisi quatenus novumne id sit prorsus, an resumtum, quod pridem esset desitum, adhuc est in controversia.

XLII.

Et pro lectione Jehovà recens adhuc auctoritas est J. Dav. Michaëlis, harum nuper literarum in Germania principis, in *Supplementis ad Lexica* edi coeptis a. 1784, pag. 524. Quem secutus est, qui nunc vel maxime ad laudem earumdem graditur, E. F. C. Rosenmullerus, *Scholiorum in V. T.* parte 1.ª edita a. 1788, pag. 374. Hi autem commento potissimum

nituntur sane mirifico Io. Matthiae Gesneri *Commentar. Societ. R. Scientiarum Gottingensis* Tom. I. ad annum 1751, pag. 245, *De laude Dei per septem vocales etc.* Ibi enim vir ingenio et eruditione praestantissimus quaestionem ingressus de vocalibus, quas Aegyptii canerent sacerdotes in Deorum adoratione, p. 257 coniecturam protulit mangonio quidem elegantis doctrinae bellissime adornatam, at reapse incredibilem, quod nimirum Aegyptii nomen illud genti Hebraeae religiosissimum יהוה clarisono concentu solerent in Sacris celebrare. Quod nomen quum audiit Pharao, Exod. v. 2, *Quis est,* inquit, *iste* יהוה..?... *equidem non novi*. Quare Moses explicat: *Hebraeorum Deus* etc. At non de antiquis adeo temporibus Gesnerus loquitur, sed de saeculis aliquot ante et post Christum proximis: et nostro more diligenter cognoscenda causa, non oratorio impetu exagitanda est. Itaque accedamus ad Eusebii auctoritatem, quae fundus est coniecturae Gesneri.

XLIII.

Quum in Praeparatione Evangelica vir plurimorum librorum lectione in primis praestans omnia undique studiose conquireret, unde probabiliter sibi videretur posse colligere gentes caeteras accepisse aliquid ab Hebraea, Aegyptios etiam eo accenset argumento, quod septem coniunctis vocalibus arcanam quamdam complexi dicerentur appellationem, quam quatuor elementis Hebraei. Habes verba Προπαρασκευῆς edit. Paris. pag. 519, *Ἐπεὶ καὶ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων τὴν ἐπὶ τὸ αὐτὸ σύνθεσιν μιᾶς τινος ἀποῤῥήτου προσηγορίας περιέχειν φασὶν ἐκφώνησιν, ἣν διὰ τεσσάρων ϛοιχείων παῖδες Ἑβραίων σημειούμενοι ἐπὶ τῆς ἀνοτάτω τοῦ θεοῦ δυνάμεως κατατάττουσιν, ἄλεκτόν τι τοῖς πολλοῖς καὶ ἀπόῤῥητον τοῦτ᾽ εἶναι παῖς παρὰ πατρὸς εἰληφότες.* Iam de Hebraica *ἀποῤῥήτῳ προσηγορίᾳ*, quam voluerit Eusebius significare, nequit dubitari quin sit יהוה. Haec sonuerit

Jehovà: non inepte a Gesnero expressam fatebere septem vocalibus Ιεηωουα, exsistetque vocabulum, quo si animum induxeris credere Mystas Aegyptios appellasse divinitatem, eiusmodi profecto habebis explanationem verborum Eusebii, quae vim conclusionis eius praestet maximam. Sed cur, quod erat planissimum, ipse non scripsit Eusebius, fuisse in Aegyptiorum caerimoniis *ἐκφώνησιν* usurpatam *ιεηωουα* divino consonam nomini apud Hebraeos *ἀπορρήτῳ*? Quia nimirum id quidem ita expresse nec somniaverat ipse, neque erat usquam a quoquam memoriae proditum. Sed quaedam legerat, cuiusmodi illud est libri Demetrio inscripti *περὶ ἑρμηνείας* §. 71 Ἐν Αἰγύπτῳ... *τοὺς θεοὺς ὑμνοῦσι διὰ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων οἱ ἱερεῖς*. Unde opinionem quamdam hauserat indefinitam religiosae alicuius *ἐκφωνήσεως*, quae septem vocalibus tota constaret. Legerat autem literis vocalibus totum constare Dei nomen Hebraeis religiosissimum. Itaque coniecit ab hoc illam

ἐκφώνησιν exstitisse: levi, fateor, conjectura, sed non insolitae levitatis in huiusmodi argumentis. De qua ne dubites, verba ipsa Eusebii perpende, ac maxime illud *φασὶν*, et *μιᾶς* ΤΙΝΟΣ *προσηγορίας ἐκφώνησιν*; tum *ἄλεκτόν τι*, et quo postea epigrammate confirmet, quod de septem vocalium apud Aegyptios *συνθέσει* scripserat perhiberi, hoc nempe, quod *εἰς Σάραπιν* quidam inscribunt.

Ἑπτά με φωνήεντα θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
Γράμματα, τὸν πάντων ἀκάματον πατέρα·
Εἰμὶ δ' ἐγὼ πάντων χέλυς ἄφθιτος, ἣ τὰ λυρώδη
Ἡρμοσάμην δίνης οὐρανίοιο μέλη.

Senties obscuritate sermonis Eusebium res involvere sibi non compertas certe satis. Et quî potuisset habere compertas? Plurimos ille quidem legerat libros, qui perierunt. At laudasset profecto, si quem habuisset rei testem adeo dignae animadversione hominis Christiani, itemque He-

Digitized by Google

braeorum. Quam cur nunquam animadvertissent Aegyptii doctissimi Philo, Clemens, Origenes? Cur, quum tot habeamus a veteribus memorata Aegyptiacae vocabula superstitionis, nusquam tamen invenitur istud *ιεηωουα*?

XLIV.

Quid quod Gesneri commento verba repugnant Demetrio inscripta, ab ipso memorata Gesnero? Finge enim *ιεηωουα* appellationem quamdam Aegyptiam fuisse Divinitatis. Quid stultius poterit excogitari argumento Demetrii, qui quum inde a §. 68 *ἐυφωνίαν* oratori commendare susceperit, quam e concursu vocalium ipse contendit exsistere, earum suavem esse concursum inde conclusisset, quia in hymnis Aegyptiis divinum audiretur nomen septem vocalibus constans? Quasi vero Deorum nomina in hymnis canenda sint nulla, nisi quae suavia sint ipsa compositione literarum. Plane aliud voluit auctor quicumque fuit libri *περὶ*

Digitized by Google

ἑρμηνείας. Quod equidem mihi adhuc videor probabiliter omnino explicuisse in *Literaturae Copticae Rudimento* pag. 44. Ibi enim adnotavi Graecas vocales α, ε, η, ι, ο, υ, ω musicas in Aegypto notas, itemque appellationes fuisse sonorum *si, ut, re, mi, fa, sol, la;* quibus quemadmodum nunc canitur *solfeggiando*, ita septem illis vocalibus canebant sacerdotes, utque idem perhibet, *tibiae loco ac cytharae literarum harum sonus* cantioque adhibebatur: quod profecto non fuisset institutum, si vocalium ingrata auribus accideret consecutio.

XLV.

Quum autem eaedem vocales etiam essent astronomicae notae Lunae, Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Jovis, et Saturni, chorus astrorum divinas laudes ita concinere quodammodo videbatur; et accedente notis musicis astronomica significatione, transitus evasit facilis ad apotelesmaticam amuletorum superstitionem; ut inscriptio-

nes omittam Basilidianas, et quae multa cuiusquemodi exstant in Musaeis *κειμήλια* similiter notata Graecis literis vocalibus varia successione pluries permutatis. Quorum quaecumque sit ratio, epigramma certe ab Eusebio laudatum ita explicatur optime: quo videlicet sive Natura omniparens, sive Creator Deus laudari se ait quum septem canuntur literae vocales, quae quum singulae singulorum soni astrorum habeantur [1], horum concentum exhibeant: ipse vero, adiunctis quasi septem chordis septem caelestium orbium sonis, quasi quaedam sit chelys, eorum conversione quosdam edens veluti lyricos modos.

---

(1) Vide apud Irenaeum in ſine cap. x. libri 1.i *ὁ μὲν πρῶτος ὀυρανὸς φθέγγεται τὸ α, ὁ δὲ μετὰ τοῦτον τὸ ε, ὁ δὲ τρίτος η, τέταρτος δὲ καὶ μέσος τῶν ἑπτὰ την τοῦ ι δύναμιν ἐκφωνεῖ, ὁ δὲ πεμπτὸς τὸ ο, ἑκτὸς δὲ τὸ υ, ἕβδομος ... τὸ ω στοιχεῖον ἐκβοᾷ ... ἅιτινες δυνάμεις ὁμοῦ ... πᾶσαι ἐις ἀλλήλας συμπλακεῖσαι ἠχοῦσι καὶ δοξάζουσιν ἐκεῖνον, ὑφ' ὅυ προεβλήθησαν· ἡ δὲ δόξα τῆς ἠχῆς ἀναπέμπεται ἐις τὸν προπάτορα*. Neque enim officit. quod haec e Marci Sige *φλυαροῦσα* sint sumta.

XLVI.

Inconsiderate autem prorsus pro Gesneri coniectura Minervae Saidica laudatur inscriptio e Plutarchi libro *περὶ Ἴσιδος* §. 9. *Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψε*, quae rerum universitatis nemini penitus perspectam asserit divinitatem, non appellationis cuiusquam exhibet interpretamentum. Sed, quod monui, levitas argumentorum adhiberi quantacumque a plerisque solet, quum ad Hebraicam antiquitatem referre caeteras festinant, quantulacumque cernatur similitudo. Quasi vero in tanta eiusdem naturae hominum multitudine, totque similibus fortunae vicibus, non plures passim et loco disiunctos et tempore necesse omnino sit incidere in easdem cogitationes, atque idem propemodum aut dicere, aut facere, quamvis dictum prioris aut factum posterior nesciat plane.

Digitized by Google

XLVII.

Sed idem fit in originibus rerum, quod in originibus verborum; unde vani passim, ac nugaces plerique etymologi, dum convenientia quacumque significationis ac soni duarum vocum se, aliosque decipiunt, ipsam artem adduxerunt in contemtum cordatioribus: quandoquidem in tanta vocabulorum copia ac paucitate elementorum nequeunt non multa casu convenire. Quae causa est, ut obiter moneam, cur unaquaeque fere cuiusvis sermonis vox ab Hebraeo multimodis trahatur facile, uti a Thomassino factum, atque aliis: quum contra, si lubeat ineptire, possim equidem ipsum divinum hoc nomen יהוה a lingua ducere Aegyptia, duas eius, quas vocamus, radices componens ⲓⲁϩ *jah*, et ⲟⲩⲁϩ *vah*, quae literis Hebraeis omnino sint scribendae יה et וה. Prior autem *jah*, emissionem atque proventum significasse inde colligitur, quia apud Coptos ⲓⲟϩⲓ, ⲓⲟϩ frugiferum solum est ac fruges, mes-

Digitized by Google

sis; ut lunam ιοϩ nunc quidem omittam; composita autem inde exsistunt ιⲁϩⲁⲗⲟⲗⲓ *vinea*, ιⲁϩⲥⲟⲩⲟ̀ *arvum*, *messis*, ιⲁϩϣϣⲏⲛ *nemus*, ubi proveniunt ⲁⲗⲟⲗⲓ *uva*, ⲥⲟⲩⲟ̀ *triticum*, ϣϣⲏⲛ *arbor*. Altera autem *Radix*, *vah*, creberrimi usus, notationem habet *addendi*, *iterandi*, atque inde consequentis *continuitatis*, unde coniunctio ⲟⲩⲟϩ, quae Hebraeis ו; habetque verbum ⲟⲩⲟϩ, ⲟⲩⲱϩ interdum etiam *manendi*, atque *habitandi* significationem, e. g. Gen. XII. 9. Inde igitur compositum יהוה notationem prae se ferret continuae emissionis, perennisque proventus, nomenque eius foret, a quo manant omnia indesinenter.

XLVIII.

Abstineo a pluribus, ne cui fortasse nugas probem, quas ideo attuli, ut exemplo sint ad aspernandum. Ac redeo ad argumenta Michaëlis, quae si levia sunt pro sententia, quam est amplexus, levius est, quod aliis obiicit, si tertiam futuri perso-

Digitized by Google

nam loco primae אהיה, qua de se loquebatur Deus, a Mose voluisset usurpari, nullam apparere causam, cur per *vau* scribatur יהוה, nec potius יִהְיֶה. Cui enim veniat in mentem prius fuisse Deo nomen אהיה, quo se ipse appellaret, idque eum flexisse ad tertiam personam, quum iam foret a Mose, aliisque usurpandum? Prius omnino ex antiquiore, mox insolentiore dialecto vocatus Deus est יהוה, quod explicaturus Mosi Deus causam habuit sane, cur adhiberet mediam verbi *jodh* ex usu, qui iam invaluisset, dialecti Hebraeae, qua tum loquebatur. Quod si statuas tunc primum suo ipsius iussu atque instituto Deum coepisse vocari יהוה, obvium erit Michaëli respondere, discriminis gratia Deum praetulisse verbum sua quidem origine et forma significationis eiusdem atque יהיה, *est, erit,* sed quo suus populus hac significatione non uteretur.

Digitized by Google

XLIX.

Iam vero unum superest, quod sciam videri cuiquam posse favere legentibus Jehovà, quod scilicet nomen inde sit Iovi. At ne de veriverbio dicam a *juvo*, est certe Iuppiter vocandi casu Ζεῦ πάτερ, ζυγὸς *jugum*; unde quaedam intelligitur affinitas exstitisse inter veterem utriusque elementi pronunciationem, Graeci ζ, et Latini *j*, quod Galli hodie, ac Lusitani proferunt fere, ut suum *z*, idem plane ac Graecum ζ; ac pridem ab imperitioribus haec elementa invicem permutata videmus in inscriptionibus, ut Gruteri pag. 1058. 6 IN DOMINO ZESV. Iam quo pronunciationis discrimine Itali inchoant *Giove*, Galli *Jupiter*, eodem Aegyptii Saidica dialecto proferunt *Giois*, quod Memphitica est Ϭωιc, cuius pronunciatio Graecis literis ut quam potest proxime exprimatur, scribendum est ζωις. Atque ita *Giois*, ζωις passim adhuc in Christianis reliquiis Aegyptii sermonis Deus est, non

quidem proprio nomine, sed appellativo, cui planissime respondet Graecum *ἄναξ*, *παρὰ τὸ τὴν ἄνω τάξιν ἔχειν*, *dominus*, origine excelsum ac superum notans. Vide meum *Litterat. Copt. Rudimentum*, pag. 59. Exstitit igitur Aegyptium nomen eius et significationis et soni, unde potuerit Deus idem vocari et *ζεὺς* et Iovis. Quamquam verius equidem puto fateri nos utriusque nominis originem ignorare, nisi quod cognata videantur *juvo*, *juvenis*, *junior*, *junix*, *Juno*, *Ju-piter:* licere autem, si cui lubeat, Iovem derivare a *Jahvè*, nihilo secius quam a *Jehovà;* quandoquidem semper aliquid in pronunciatione mutatum erit agnoscendum, neque inverisimiliter, dum vox ab Hebraea traducetur ad Etruscam, aut priscam aliam Italiae linguam, indeque ad Romanam.

L.

Tandem igitur finem faciam decertationis adversus eos, qui quum notis vocalibus Hebraico textui adiunctis auctorita-

Digitized by Google

tem non tribuant maiorem quam ego, ex his nihilominus legunt *Jehovà*. Eorum enim argumenta ita mihi videor omnia deiecisse, ut ipsos quidem, modo cuncta perpendere non pigeat aequo animo, accessuros confidam nostrae sententiae, multoque habituros probabiliorem atque eruditiorem lectionem *Jahvè*, neque tamen ipsam plane certam; ut adeo consultius omnino sit, vetere instituto non Hebraeorum dumtaxat, verum etiam Christianorum inde usque ab ipso Domino Iesu atque eius auditoribus, a pronunciatione abstinere nominis divini, cuius loco iamdiu *Dominus κατ' ἐξοχὴν* proprium quodammodo evasit nomen veri Dei. Quid enim attinet coniecturis indulgere, ut a consuetudine discedas non modo Ecclesiae Romanae, aliarumque Latini ritus, aut Graeci, sed gentium fere omnium, quotquot multitudinem exosae Deorum, unum eumdemque nobiscum herum colunt, cuius unius in potestate sunt omnia? Syri, Copti, Arabes, etiam Muhammeda-

ni, eadem *ἀντονομασίᾳ* Deum nominant simpliciter *Dominum:* Aethiopes addunt *Terrae,* aut si mavis, *Vniversi*. Verum enim vero grandius est sine additamento *il Signore,* ut nos, ut Galli, ut Angli, etc. Cur ubi Dominum dicimus tot linguis, quum divina verba recitamus, ibi idem Hebraice dicere displicebit adeo, ut malimus voce uti, quae nihil facile nisi monſtrum verbi sit, vocabulum nullius omnino sermonis?

LI.

Sed plerique dum superstitionem se aversari profitentur Iudaeorum legentium *Adhonàj,* suae se non sentiunt obsequi superstitioni, vel qua sanctitatem aliquam imprudentes tribuunt ipsis elementis ac vocum sono, dum interesse pietatis putant appellare suis literis יהוה, vel qua divinitatem textus Hebraei etiam in notulis vocalibus venerantur. Quorum ego hic nolo religionem oppugnare, ne in certamen ingrediar haud paucis paginis absolven-

dum, quum sufficiat monere, ne velint, causam tuendo inepte, derisoribus prodere. Sunt enim, quae vix sine risu possint legi, a doctis hominibus tamen scripta, ut quaedam a Leusdeno, vel maxime, ubi de pronunciatione disputat Divini Nominis, quum alibi, tum in Iona illustrato, quem librum caeteroqui tironibus commendaverim, qui careant praeceptore.

LII.

Aio igitur eum, qui non stultissime velit defendere divinitatem Punctorum textus Hebraei, aliqua omnino uti oportere sive exceptione, sive explicatione, ubi aliter Hebraei legunt, ac literae textus postulant. Hunc enim Puncta ubique habere verbi, quod legunt, certum vel facto ipso est; quae possunt eadem aliquando etiam convenire vocabulo, quod literae in textu exhibent, non vero semper. Nam praeterquamquod haud paucis locis Puncta sunt sine literis, ubi vocabulum recitatùr adnotatum in margine קרי ולא כתיב,

Digitized by Google

ut Iud. xx. 13, quum contra Punctis alibi careant literae non legendae, ubi habetur כתיב ולא קרי, uti II. Sam. XIII. 33; multa passim כתיבן, ut I. Sam. xx. 2, Punctis adeo manifeste alienis occurrunt, ut nemo ingenio quamvis hebeti, quamvis absurdo, modo Hebraice non omnino indoctus, aliena planissime esse non videat, non fateatur.

LIII.

Quare quum quatuor omnino sententiae sint, neque plures esse queant, tuentium ubique integritatem textus Hebraei, ut vel *Kerì* ubique, vel ubique *Chethìv*, vel utrumque approbent, vel nunquam non probantes saltem alterutrum, neutrum non respuant aliquando; quicumque *τὸ Kerì* vel interdum aspernantes, Punctorum patrocinium suscipiunt universe, hi, quod Punctorum nequaquam certitudinem labefactat, excipere verba debent, quae Synagoga non recitat; quia Punctis vel plane carent, vel carere in-

telliguntur, quippe quibus Puncta licet sint apposita, nulla tamen sunt ab apponentibus attributa. Neque enim qui exempli causa Iosue VI. 13. priori literae scripti הולך substernit *kametz*, tertiae addit *cholem*, *kametz* illud vult priori syllabae dari eius verbi, *cholem* alteri. Novit is profecto participium *holèch*, et quae eius sint vocales, quas ipse in eodem versiculo bis modo adscripsit, ubi tamen legi poterat *halàch*. Sed ubi statim *holèch* scriptum non ambigue sequitur, quia id ibi non legitur, eius Puncta sciens volensque omittit; neque ulla apponeret, si nullum esset ibi *Kerì*.

LIV.

Quae quum pervulgata et plana adeo sint, quid inconsultius, quam exceptionem adeo liquidam ac legitimam non ubique amplecti constantem in certissima sententia; sed parce, veluti diffidentem, et quasi invitum, ea tamen uti aliquando? In quo miror a ratione adeo aberrasse,

Digitized by Google

quem caeteroquin equidem suspicio in primis, ac nunquam satis laudare mihi videor posse, Albertum Schultens, qui tum discipulorum opera, maximeque Francisci Tsepregii, tum sua ipse passim in *Institutionibus*, atque alibi studiosissime sit conatus authentiam vindicare complurium *Chethibim* una cum Punctis, quaecumque in textu adiacent, quamvis literae alia flagitent, vel certe malint. Nam quod analogiam sermonis Hebraei arcte nimis a grammaticis ante ipsum habitam, a se liberalius cultam, in campum longe ampliorem dialectorum eduxit finitimarum, eius equidem studium laudo. Sed augendae rei Hebraicae non erat suspicio etiam adhibenda, tametsi a Pocockio iam excitata in nota ad *Portam Mosis*, Lipsiae 1705 pag. 61, et sequ., minime tamen verisimilis, quod videlicet quum rarioris formae vocabula multa essent antiquitus recte insignita Punctis, quorum postea ratio fugeret inscitiam Magistrorum, hi mutare scripturam nihil ausi, ut nihi-

Digitized by Google

lominus legerent, quod sibi rectum videretur, animum induxerint, quum vox aliis literis exsisteret, cui Puncta convenirent, hanc in margine adscribere et recitare. Quod plane contra certissimum eorum institutum est; qui Puncta ubi animadverterent vel abnormia, vel rarioris certe usus, vel inconstantis, diligenter adnotabant, ne quis mendosa putans adsciscerct usitatiora. Neque vero sicubi necessario vel literas censuissent, vel Puncta deserenda, non potius literis adhaesissent: Qui quamquam vulgo Puncta etiam tenent religiose, omnes tamen semper longe maiore sunt religione literas venerati, quae solae in scriptis adhibentur stricte apud ipsos et materialiter, ut ita loquar, sacris, Legis voluminum, et schedarum התפלין, atque המזוזות.

Digitized by Google

LV.

Et non Punctorum gratia inventum esse *Keri* vel inde patet, quod Puncta eadem sine controversia aliquando etiam conveniunt τῷ *Chethiv*. Res, mea quidem sententia, a mutatione repetenda est consuetudinis loquendi, quae volventibus annis maior, minor in omnibus linguis cernitur. Nullius idiomatis, quod in ore hominum diu sit, eadem plane omnia semper vocabula esse in honore sinit usus. Hinc nullus liber post aliquot saecula totus perlegi multitudini, uti scriptus primum fuit, potest sine ulla aurium offensione ac molestia. Neque tamen vulgo obsoleta quae habet, non pleraque in recitatione retinentur. Sed quaedam sunt, in quibus aliquid sibi licere vel religiosissimus praelector putet. Itaque e. g. postquam הוא, נער, dudum desueverant de femina usurpari, coeptum est femineo genere in libris Mosis, ubi erat הוא, legi היא, ubi נער, נערה. Quae, ut alia pleraque,

sunt rationis grammaticae. Sed sunt quaedam etiam alius omnino rationis, q· am non verbum obsolevit, non eius mutata forma est, aut scriptura, aut sonus, sed quod honestum erat, fit scurrile, turpe, inverecundum. Quaedam enim usu venit ut aliter soleant significari ab hominibus honesto loco natis, sancte institutis, pudicis, gravibus, eos verentibus, qui audiunt, aliter a plebe ac nebulonibus, vel etiam a primoribus, at protervis, per nequitiam et lasciviam, vel in contumelia, atque ira. Quorum autem utare sermone, his consentire ipse, his audientes videris adiungere. Hinc discrimen verborum honestatis, non a notatione ac significatione, sed ab usu, ac loquentium mutabili consuetudine. Atque intelligitur potuisse quaedam, quamvis sancte antiquitus scripta, videri posteris alio potius vocabulo recitanda; quemadmodum Iugurtham Sallustii matronis, bellisque hominibus forte legens Quintilianus, ubi c. LXX Nabdalsa memoratur solitus *seorsum ab rege exer-*

Digitized by Google

citum ductare, probabilem causam habuisset legendi non *ductare*, sed *ducere*, siquidem ea menti succurrissent, quae ipse monet l. VIII. c. 3, edit. Burmanni pag. 695.

LVI.

Ac nihilo minor in contrariam partem vis intelligitur consuetudinis, ut vocabulo maioris significandi sive honoris, sive pietatis per usum aevo labente fieri accessio possit; quum opinio consuetudinem, opinionem subsequatur interpretatio. Quapropter apud quos in morem venerit honoris causa Deum proprio quodam olim nomine appellatum, hoc omisso, vocare Dominum, apud ipsos qui Dominum vocat, honorem is Deo maiorem, quia vult habere, et putatur, habet revera. Neque tamen Iudaeos superstitionis absolvo; aut eorum suscipio causam, qui primi aliter, atque erat in sacra Pagina scriptum, novato in voce aliqua more loquendi, instituerunt legere.

Digitized by Google

LVII.

Sed originem assero instituti, quod non potuit propter discrepantiam codicum suscipi, quos describere eo consilio nemini in mentem veniat, ut, ubi discrepant, ibi semper a textu reiiciat, quod vult legi. Ac si quis fecisset, non ideo etiam Iudaei ubique omnes consensissent in lectione, quam ipse praetulisset, recipienda. Vt Synagogae, quotquot in orbe terrarum erant, quasi legis quadam sanctione susciperent *τὸ Kerì*, atque unice usurparent, neque tamen extruderent *τὸ Chethìv*, oportuit initio neutrum fuisse in controversia, ut e. g. חראיהם, vel חריהם, ubi legitur צואתם, Isa. XXXVI. 12, II Reg. XVIII. 27; neque est cur dubites quin Isaias, ne indignitatem leniret verborum Rabsacis, scripserit *charehèm* (confer tritas vulgo Arabibus voces, at turpes خرء , خراء , خريه) visum tamen est Synagogae legendum *tsoathàm*, *excrementa eorum*, ea turpitudinis verecundia, qua a verbo ipse abstineo bene

Latino, quo Hebraeum vertit Isaiae nuperus Bibliorum interpres I. Au. Dathius. Neque vero quia Houbigantius, atque aliquot post eum eius similes critici putant in mendo esse plus vicies in Pentateucho נער, ubi legitur נערה, credibile est Iudaeos etiam suspicatos tantam inesse labem membranis, quas religiosae adeo sine ullo *Kerì* conscriptas habent in Sacrario. Credebant illi profecto a Mose scriptum נער, et legendum nihilominus נערה maiorum instituto, quod iam fortasse, ut hodie, quamvis inepte, repetebant ab ipso Mose; neque aliud novaverunt, nisi ut in margine librorum ad usus privatos adnotarent vocem, quae aliter atque erat in textu, recitabatur ex consuetudine. Postquam vero semel receptum est ut voces legendae adscriberentur in margine, facilis omnino adiunctio et permixtio fuit caeterae cuiuscemodi varietatis, tam librorum, quam iudicii ex opinione, et coniectura; ut adeo triplex nunc genus ac ratio cernatur *τῶν Karjàn*, 1.um ubi nulla est suspicio de

Digitized by Google

כתיב, sed quod offenderet *τὸ ἀρχαϊκὸν*, vel honoris gratia, לשבח, desitum est recitari; 2.um ubi necessaria visa est emendatio, quamvis codices in mendo consentirent. 3.um quod ex codicum varietate inductum est, vel iudicio, vel lapsu scribentium.

LVIII.

Sed vel ubi planissime *Kerì, Chethìv* ad librorum revocatur discrepantiam scripturae, e. g. II. Sam. XIV. 21, et 22, ubi עבדך, עבדו, עשית, עשיתי, in textu ac margine aliter in aliis codicibus sunt (vide *Varias Lectiones* I. B. De Rossi vol. II. p. 179) constantes Hebraei in instituto reperiuntur, quo Puncta exhibent ubique *τȣ̃ Kerì*, negligunt *τȣ̃ Chethìv*. Quid minus igitur nos constanter itidem Puncta negligemus, ubi placuerit *τὸ Chethìv?* Et qui nullam fatemur habendam rationem Punctorum ubi *avdò* scribitur *avdecha*, eorum contendemus habendam rationem ubi e. g. Ps. CXL. 10, et 11, יכסומו *jechassùmo*,

ימיטו, *jamîtu*, scribuntur *jechasseumo, jimmoitu*? Neque enim hic quaerimus quam sit opportunum *jechassûmo*, quam analogum *jechasseumo*, quod mutare, si Schultensium audimus, *Institutionum* pag. 386, *est bona sua non intelligere*. Neque *jimmîtu* refutabimus, quod non uni placuit Schultensio, *Instit.* p. 368, verum etiam Schroedero, *Instit.* Reg. 80. Sed momentum negamus inesse in Punctis, quae ad יכסימו, ימוטו certissime pertineant: sed Punctorum causam prodere patronum dicimus, qui quum *jimmoitu* agnoscat non esse Hebraeum, ideo vult legi *jimmîtu*, quia priori literae subiacet in textu *chirek*, secundae inest *daghès*. Mendosum enim habeat oportet, quod sequitur statim *cholem*. Oportet, inquam. Nam si mendum esse neget, quia scitum, ac receptum est Punctis *τοῦ Kerì* consignari *τὸ Chethìv*, fateatur necesse est Puncta etiam prioribus literis adhibita esse eiusdem *Kerì*, adeoque non nisi casu convenire eadem fortasse etiam posse *τῷ Chethìv*, at nullam

omnino vim habere ad lectionem eius, formamque grammaticam definiendam.

LIX.

Itaque sibi ipse non constabit, studiumque patefaciet inepta religione susceptum adhaerendi Punctis ibi etiam, ubi minime opus erat. Quod quum vel maxime Punctorum causae noceat, quumque eius propugnatoribus id in primis cavendum sit, ne iudicio infirmo in multa doctrina inepti censeri iure possint, eos, quod aiebam, constanter oportet exceptione uti, quae planissima est; immo quae non exceptio est, sed dogmatis sui liquidum consectarium. Eorum enim dogmatis haec scribi formula videtur posse consultissima, ut certum habeant libros Veteris Foederis divina providentia per manus Iudaeorum incorruptos ad nostras pervenisse, perinde ac si a Christiana Ecclesia fuissent asservati; ut adeo vel in minimis, quae sententiam afficiant, textui Hebraeo, ubi Hebraei in exhibendo consen-

Digitized by Google

tiunt, fides habenda sit nihilo infirmior, quam textui Novi Testamenti, ubi de lectione convenit inter Christianos. Itaque esse totius testimonio Synagogae Punctorum auctoritatem recipiendam. Hoc ergo testimonium ubi omnino desit, nulla poterit religio intercedere, quin de Punctis ambigamus. Atqui Synagoga, ubi non recitat, quod literae ferunt, ibi scriptae vocis propria Puncta neque scripto, neque oretenus perhibet. Permittenda igitur ibi omnino Puncta sunt iudicio doctorum hominum ab iis etiam, qui caeteroqui Puncta suscipiunt religiosissime.

LX.

Qui propterea, quum huiusmodi sine dubio sit vocabulum יהוה, optime profecto causae consulent, si suis id Punctis carere fatentes, ab appellatione abstinebunt vel barbara, vel saltem dubia. Neque vero non ita vestigiis etiam maiorum insistent; quum bene multi cuiusque Christianae sectae, non modo proxime prae-

Digitized by Google

teritis, sed hoc adhuc saeculo floruerint Hebraicarum laude literarum, qui Punctis divinam tribuentes auctoritatem, יהוה vicario nomine appellarent *Adhonàj*. Et iam plura dicere nihil attinet.

Digitized by Google

AVCTARIVM OBSERVATIONVM AD HEBRAICAM ET COGNATAS LINGVAS PERTINENTIVM

I.

De appellatione Filii hominis.

Quandoquidem animum induxi praelo excudenda dimittere nostra quaedam *φιλολογούμενα*, lubet observationes aliquot addere pertinentes ad idem studiorum genus. Quarum prima esto de appellatione *Filii hominis* in N. T. De qua quum multa legerim, nemo visus mihi est satis accurate disputare. Conferunt crebrum in Ezechiele בן אדם, et tralatitia congerunt de idiotismis ex בן, tum de discrimine in-

Digitized by Google

ter בני אדם et בני איש. Omittunt, quod maxime intererat, observare discrimen inter *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, et *υἱὸς ἀνθρώπου* collatis ܒܪܗ ܕܐܢܫܐ *breh dhenóscio*, et ܒܪ ܐܢܫܐ, vel ܒܪܢܫܐ *barnóscio*, quorum hoc significat hominem aliquem indefinite, illud hominem certum definite hunc, illum, et rabbinice verti potest בנו של האדם. Ac *barnóscio*, appellatur etiam nullius hominis filius, omnium progenitor Adam, ubi ad Rom. v. 19, *διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπȣ* versum est ܡܛܠ ܠܐ ܡܫܬܡܥܢܘܬܗ ܕܚܕ ܒܪܢܫܐ et 1. ad Cor. xv. 45, 47, ܒܪܢܫܐ ܩܕܡܝܐ, *ὁ πρῶτος ἄνθρωπος*, ubi appellatio indefinita *barnóscio* adiuncto definitur *kadmójo*, quemadmodum in Ezechiele בן אדם, quia vocative usurpatur, necessario spectat compellatum Prophetam. Alioquin *υἱὸς ἀνθρώπου* idem plane est atque Italice *un uomo*, vel interdum etiam absolute *uomo*, ut Joa. v. 27, *ὅτι υἱὸς ἀνθρώπȣ ἐςί· perchè egli è uomo*. Sed *ὁ υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπου* vocatur definite D. Iesus primum ac plerum-

Digitized by Google

que a se, ut *hic homo* bene Latine saepe est ipse, qui loquitur, e. g. apud Plautum Curcul. II. I. 33, *Vah! solus hic homo 'st, qui sciat divinitus*, h. e. solus ego sum, qui sciam; Epidic. I. II. 38 ... *huic homini opus est quadraginta minis*, h. e. mihi; Bacch. IV. IV. I, *Hunc hominem decet auro expendi*, h. e. me; Terentius Heautont. II. III. 115, *Tibi erunt parata verba, huic homini verbera;* Lucilius Satirarum lib. XII. I.'

Huic homini quaestore aliquo est opus, atque chorago,
Publicitus qui mi, atque e fisco prebeat aurum;

Horat. I Serm. IX. 47, *Hunc hominem velles si tradere;* ubi Scholiastes vetus: *δεικτικῶς se ipsum tangit digito*. Similiter Graecis *ὅδ' ἀνὴρ*, *ego* est, Aeschylo, Septem ad Thebas v. 657 *'Ως ὄυπoτ' ἀνδρὶ τῷδε κυρηκευμάτων Μέμψῃ*. Sophocli, Oedip. Tyr. v. 1037, *'Ου μᾶλλον ὀυδὲν τȣ̃δε τ' ἀνδρός*. Euripidi, Medea v. 1336, *νυμφευθεῖσα δὲ Παρ' ἀνδρὶ τῷδε, καὶ τεκοῦσά μοι τέκνα*.

Digitized by Google

Itaque Matth. VIII. 20, Ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὀυκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ· *Hic homo non habet ubi caput reclinet;* h. e. ego non habeo; atque ita ubicunque Iesus ipse loquitur, *δεικτικῶς*, *ego*, est. Matth. XII. 8, Marc. II. 28, Luc. VI. 5, Κύριος γάρ ἐςι καὶ τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Dominus enim etiam Sabbati sum ego*. Quare ubi eadem verba referunt D. Iesu Matthaeus et Lucas, hic VI. 22. habet ἕνεκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ανθρώπου, ille V. 11, ἕνεκεν ἐμοῦ. Facile autem intelligitur, quibus locis verba Domini recitantur praemisso ὅτι, Marc. VIII. 31, IX. 31, X. 33; Luc. IX. 22, XXIV. 7, eadem appellatio servata, qua se ipse Iesus significaverat, quandoquidem etiam persona prima servatur Marc. X. 33, ἀναβαίνομεν. Ast ad Marcum IX. 9, et Act. Apost. VII. 56, duo sunt animadvertenda, primum quod, ut *hic homo*, sic *breh dhenóscio*, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου de tertia persona definite eam indicat, de qua sermo est, *hic*, *ille*, *ipse*, alterum quod

ratio est habita consuetudinis Domini Iesu, qua solebat se illis verbis significare; quapropter nunquam nisi de Iesu ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου in N. T. usurpatur. Quod autem *breh dhenòscio* alicubi est (Ioa. v. 27, Apoc. I. 13, XIV. 14) ubi in Graeco desunt articuli, id factum, quia iis locis de Iesu simpliciter Syrus interpres accepit, quae ad eum quidem pertinent, at aliam vim habent, atque rationem, cur indefinite hominem voluerit Ioannes significare. Quod eius Evangelii v. 27 perspicuum est; ad loca autem Apocalypsis confer Ezech. I. 26, Dan. VII. 13, X. 16, et 18, ubi itidem aliquis visus perhibetur similis homini indefinite, דמות כמראה אדם, כדמות בני אדם, כבר אנש.

II.

De appellatione τοῦ Λόγου, *et* מימרא.

Proxima succurrit menti appellatio τοῦ ΛΟΓΟΥ, de qua ne quid congeram praeter institutum, una animadversione de-

fungar, videri mihi virum Hebraice et Chaldaice in paucis doctum Io. Lightfootum in Horis Hebraicis veritum ne inepte religiosos offenderet, quum eorum non improbata sententia, qui Verbum secundam Personam Divinam interpretantur Targumicum מימרא דיי, tantum adnotat non esse dissimulandum vocem מימרא aliquando nihil aliud significare, quam *ego, tu, ipse,* et applicari etiam hominibus; idque confirmat exemplis indubiis quidem, sed tantum quatuor Iob. vii. 8, xxvii. 3, ii Paral. xvi. 3, xxiii. 16. Non enim aliquando, sed plerumque, et modo non semper hoc usu venit; quum מימרא paucis admodum locis vim nativam servet, eamdem, quae passim cernitur in מימר, qua debeat, aut saltem possit non inepte verti *verbum;* ut in Targum Ionathanis Gen. ii. 8 ואתנציב במימרא דיי, ubi quamquam Hebraeus habet tantum ויטע יהוה, potuit sane Ionathan plantatum verbo Domini hortum Edenis dicere eo plane sensu, quo ipse accipiebat illud Psaltae xxxiii. 6 בדבר יהוה שמים

נעשו. At plerumque periphrasis est agnoscenda *πλεονάζουσα* non minus ubi de Deo מימרא usurpatur, quam ubi de homine. Nam quemadmodum Esterae VIII. 10, וכתב בשום מימרא דמלכא nihil amplius significatur, quam quod in Hebraeo est, ויכתב בשם המלך, *et scripsit regis nomine*, sic patet Ionathanem Gen. IV. 26, interpretatum ומכנין לטעותהון בשום מימרא דיי non somniasse quod Enosci aevo cognominari idola coeperint nomine VERBI Domini, sed simpliciter cogitasse, quod Hebraeus habet, בשם יהוה.

Quid enim? Quum ea, quae uxor Iobi, II. 9, viro ait ברך אלהים ומות, *Benedic Deo et morere*, sunt Chaldaice conversa בריך מימרא דיי ומית, dicemusne Iudaeum hominem multis post Christum saeculis putasse Iobo et uxori cognitam et creditam Dei Trinitatem? Quod maxime advertendum est iis locis, ubi alioqui de Verbo non foret absurda interpretatio. Nam e. g. Ps. XXIII. 4, si Vates ipse cecinisset כי דברך בעזרי recte verteres *Quia verbum tuum au-*

xilium meum est. At nunc quum ille quidem tantum scripserit כי אתה עמדי, *quia tu mecum es*, non iam Prophetae, sed acerrimo Trinitatis osori placitum censeas necesse est quidquid amplius dixeris inesse in eius interpretatione מטול דמימרך בסעדי.

Atque ita colliges eiusdem plane generis esse periphrasin מימרא דיי, ac שכינתא דיי, cum qua commutatur Iud. VI, ubi dictum Gedeoni v. 12 יהוה עמך, Chaldaice versum מימרא דיי בסעדך, a Gedeone v. 13 יהוה עמנו, Chaldaeo est שכינתא דיי בסעדנא. Quorum simile est יקרא דיי, quin et איקר שכינתא דיי, et מימרא דשמיא, in quibus eatenus religio agnoscenda est usurpantium, quatenus ambitu interiectuque verborum sibi videbantur naturam divinam a nostra atque a sensibilibus longius aliquanto removere. Quod spectasse videntur etiam passim, ubi מן קדם inserunt, e. g. quum Gen. I. 2 רוח אלהים Onkeloso est רוחא מן יי קדם, Ionathani רוח רחמין מן קדם יי, itemque Hierosolymitano רוחא דרחמין מן קדם יי.

Caeterum ut mente genus totum complectamur, quandoquidem מימרי, quo redditur אנכי Deut. XVIII. 19, est נפשי Isa. XLII. 1, et איקרי Ps. XVI. 9 Heb. כבודי, ingenium linguae spectandum est in similibus saepe redundantibus עצם, רוח, נפש, כבוד, לב, קרב, גלל, פי, פנים (פום) אפין (אנפי) יד, רגל etc., in quibus recte a Danzio, *Interpretis* §. 29. 4, etiam recensetur דבר, quamquam hoc ad Deum ubi refertur, plerumque de imperio aut promissione optime explicatur. Atque etiam II Sam. XII, etsi v. 10 בזיתני *contemsisti me*, verisimile omnino faciat v. 9 מדוע בזית את דבר יהוה לעשות הרע בעיניו *quid adeo contemsisti Dominum, ut quod oderit perpetrares?* et levis in tanto flagitio videatur incusatio neglecti praecepti, licet tamen *contemsisti verbum Domini* de decalogo interpretari.

Verum enim vero praecipuum illud eiusdem libri est VII. 21, ubi Davides agens gratias exclamat בעבור דברך וכלבך עשית את כל הגדולה הזאת להודיע את עבדך, quod videri possit interpretandum: *Tua sponte*

ac bonitate (nullo meo merito) *omnia haec ingentia beneficia te collaturum significasti* (mihi) *servo tuo*. Sed 1. Par. XVII. 19 eadem eius verba aliter aliquanto sunt literis consignata, ubi, ut omittam caetera, pro דברך est עבדך, ut benefacere Deus dicatur servi gratia, quem diligat, בעבור עבדך וכלבך; atque aliquis colligat, quum *διὰ τὸν δοῦλόν σου* idem habendum sit atque *κατὰ*, vel *διὰ τὸν λόγον σου*, omnino hic *τὸν Λόγον τὸν ληψόμενον μορφὴν δούλου* significari. Nolim tamen dicere, neque credo hinc Ioannem hausisse, quae de Verbo docet. Nam praeterquam quod neque deest causa dubitandi de scriptione, et verborum permutatio explicari aliter potest, non puto committendum, ut dum notitiam Verbi, quod caro factum est, a libris antiquioribus conamur elicere, iis ministremus arma, qui Christianam de Verbo doctrinam ausint contendere non a Christo revelatam, sed a commentis atque argutationibus derivatam vel Philosophorum, vel Kabbalistarum.

III.

De antiquitate Cabbalae.

At, inquiet aliquis, eratne Cabbala ante Evangelium? Id mihi videtur pretium operae paucis disputare. Atque aio homines quidquid norunt, vel sensibus habere perceptum, vel ab aliis significatum, vel rerum natura perspecta colligendo ratione conclusum. Primum genus notitia simplici continetur, tertium veri nominis scientiam affert; sed minime omnium studiis Iudaeorum excultum est. In secundo toti erant, peculiarem gentis doctrinam ab auctoritate Magistrorum multa religione accipientes κατὰ διαδοχὰς, quae propterea ubi recensentur in *Pirkè Avòth* toties occurrit *Kibbèl, Kibbelù, accepit, acceperunt,* poteratque ita iure optimo tota Iudaica vetus eruditio vocari קבלה. Quum tamen iis praecipue usu veniat dicere se a fide dignis accepisse, qui minus vulgo nota, magisque mira sibi credi po-

Digitized by Google

stulant, tandem eo ventum est, ut ea modo Cabbala nuncupetur, quae accepta refertur viris divinitus doctis de arcanis rebus aliter imperviis menti humanae. Arcana vero quae perhibet, quamquam non modo numero, sed generibus etiam sint propemodum infinita, omnes tamen Cabbalae ambages una mihi videor posse quaestione complecti, quae de nexu est ἀκαταλήπτῳ finiti atque infiniti, materiae, spiritus, et Dei, sive naturam spectes, sive Gratiam. Hinc duplex tractatio, מעשה בראשית, et מעשה מרכבה, quatuorque proditi mundi ab אצילות, et בריאה, ac יצירה, et עשיה. Hinc ab אין סוף ad מלכות ille quasi descensus per decem sphaeras, sive Divinitatis attributa, conspectus, elucentesque patefactiones; tum quae de עתיק יומין, de אריך וזעיר אנפין, de אדם קדמון, de מיטטרון, de גלגול הנשמות, quaeque huiusmodi aliae offuciae oggeruntur quominus inexplicabiles videantur quaestiones de rerum fluxarum temporisque initio, ortu materiae, atque origine mali, omniumque fine, ubi

Digitized by Google

nihil tamen fiat nisi auctore, eodemque rectore aeterno, incorporali, immutabili, omniscio, optimo, omnipotenti.

Quod vero Cabbalistae quae tradunt, ea saepe confirmare videntur explicatione aliqua Verbi divini plane aliena a verbo ipso per גמטריא, vel תמורה, vel נוטריקון, vel per alios eiusmodi sive lusus, sive ineptias, id ad morem pertinet disserendi Iudaicum; neque magis, opinor, ab effato illo repetendum, quod omnes memorant, אין בתורה אפילו אות אחת שאין הרים גדולים תלויים בה, quam ab illo item solemni talmudico אף על פי שאין ראיה לדבר זכר לדבר *etiamsi rationis nihil insit, unde res colligatur, valet ad memoriam*.

Sed non hoc agimus; neque iam plura dicenda arbitror ut perspicuum fiat ad Cabbalam vel maxime pertinere διηγήσεις de naturae humanae lapsu, et reparatione, qualis ea prodierit a Conditoris manu, quî similis atque coniuncta Naturae divinae, qua culpa exciderit a prima integritate, ac depravata, corrupta exo-

sa evaserit Deo, atque exinde Diabolo quodammodo dedita in servitutem, redimenda fuerit, renovanda: quis redemptor, Filius Dei, Verbum, idem homo, Mediator, Sospitator, Messias. Quorum explicatione quum mysteria continentur Trinitatis et Incarnationis, tum de peccato originis, de Gratia, de Iustificatione quidquid habet Christiana doctrina impeditius, atque sublimius. Quorum tamen aliqua notitia necessaria est ad eam informandam fidem in Christum venturum, sine qua potuisse homines ante eius adventum salutem adipisci negat Augustinus. Quare nemo huius genuinus discipulus ambiget, quin ad Hebraeos ab Adamo piorum deinceps omnium institutione traditio diserta fidesque pervenerit de promisso Reparatore; quae quum aperiret, quod latet in verbis Geneseos III. 15, הוא ישופך ראש ואתה תשופנו עקב, et clavis quasi quaedam esset arcani sensus librorum Mosis, fundusque ferax cogitationum de Mysteriis maximis, patet plane de antiquitate

Digitized by Google

Cabbalae quid tenere debeant Augustiniani. Sed quum liceat credere satis olim eam fuisse fidem, quae veniam peccatorum homini supplici ac poenitenti quum polliceretur a Deo iusto ac misericordi, facturum profecto credebat Deum, quod pro sua sapientia statuisset, ut misericordiam cum iustitia conciliaret, adeoque Redemptorem inscia complectebatur; equidem a disputatione me theologica abstinebo. Tantum peto, ut qui veracem Cabbalam tribuit Hebraeis, quae mox dicam de commentis accipiat, quibus ea non tam augeri coeperit, quam obscurari; qui neget exstitisse veracem, de exordiis commentitiae cuiuscumque interpretetur.

Itaque iam nulla ambiguitate vocabuli aio Cabbalam ante Christum ortam eo potissimum argumento me credere, quia, ut ingenium hominum est, ea debuerit oriri statim atque Iudaei coeperunt otium conferre in quaestiones eas ἀκαταλήπτους, in quibus hactenus ipsa versatur. Iudaeos autem appellavi, ut homines intelligan-

Digitized by Google

tur, qui non modo libros omnes, quotquot habemus, Veteris Testamenti, summa religione suspicerent, sed ingens traditionum additamentum, quod vel ex libris Novi Foederis patet magnam certe partem fuisse idem, ac nunc obtinet in Iudaica superstitione, si paucos exceperis קראים, *Scripturarios,* quemadmodum Christi aevo excipiendi erant Sadducaei. Sed in Pharisaica disciplina quum tot Magistri doctrinae opinione efferrentur, dum plerique leges ac ritus profitebantur, pauci mores ac pietatem studebant instituere, quum alia aliis videantur pulchra, nequit dubitari, quin satis multi cogitationem converterint ad invisibilia Dei, ea curiose investigantes, quae quum nequeant sciri, vix tamen studiosus aliquis umquam exstitit, quin conatus aliquamdiu sit assequi, extricare. Quamquam saniores mature animadvertentes frustra se perinde ac caeteros in studio niti rerum ignorabilium, alio se convertunt: sed ingeniosi quamplurimi nubes et inania captant. Ali-

ter autem delirare oportuit Philosophos, quicumque, ut Aristoteles, Epicurus, mente ac ratione unice niterentur ac disceptarent, aliter Iudaeos, qui a teneris unguiculis omnem doctrinam adsueverant accipere tamquam suae genti divinitus traditam בכתב ובעל פה.

Hi scilicet putassent de caerimoniis ac iure levissima quaeque et minima didicisse Mosen tot diebus in Sinai, diviniora ac *μυϛικώτερα* non didicisse? Quî minus ergo haec vel in primis ab ea repetissent *διδασκαλίᾳ*, commentisque mirificis auctoritatem attulissent ac fidem eadem professione, quae nunc et nomen exhibet Cabbalae, et fundamentum? quod nempe arcana sua teneant בקבלה איש מפי איש עד משה . . . ע״ז מסיני, ut verbis utar plus semel usurpatis ab insigni Cabbalae doctore R. Perez vel in 1.° Capite מערכת האלהות.

Neque vero credendum est in tanta nugarum difficilium, tam varia, tam saepe discordi multiplicitate, quanta ineptiunt, quos habemus מקובלים, quum sine dubio

pleraque sint recentiora, non multa etiam eadem esse, quae ante Christum traderentur: quandoquidem qui iisdem opinionibus imbuti, iisdem libris interpretandis easdem quaestiones explicare contendunt, saepe in easdem cogitationes incurrant necesse est. Sed libri desunt, quibus singillatim, veteris Cabbalae quae fuerit stultitia, cernatur. Cuius aevi licet e Novo Testamento cognoscere haud vanam Cabbalam, de qua Cunaeus de Repub. Hebr. l. III. c. VIII, et qui recentiorem confert, Rhenferdius *de Stilo Apocalypseos Cabbalistico*. Nugas vero Iudaicas licet e speciminibus coniicere, quae habentur in Fabricii Codice pseudepigrapho V. T. Quaestionem amplius enucleare longum esset.

IV.

De antiquitate Gnosticorum.

Sed quoniam de pronunciatione disputans divini Nominis §. XVIII. acceptum Gnosticis ante Christum retuli, quod Dio-

Digitized by Google

dorus aliique habent Dei nomen, Iao, ac de antiquitate Cabbalae meam modo sententiam propterea aperui, quia non plane mihi satisfeceram brevi adnotatione, quam ibi adleveram inferiori margini, addenda hic etiam quaedam puto de antiquitate Gnosticorum. Quorum appellatio interpretatio est Iudaicae אנשי הדעת, a Christianis, etiam Catholicis, interdum usurpata de recte sentientibus, חכמי האמת, qui, quae intelligi ab aliis nequeant, ipsi teneant fidem adhibentes divinis traditionibus. Vide Clementem Stromatum libro VI.° fere toto, vel saltem a pag. 645 ad 664 edit. Lutetiae 1619. Eius enim hic tantum pauca verba referam, p. 649 c, Ὁ γνωϛικὸς δὲ ἐκεῖνος, περὶ οὗ λέγω, τὰ δοκοῦντα ἀκατάληπτα εἶναι τοῖς ἄλλοις αὐτὸς καταλαμβάνει πιϛεύσας, ὅτι οὐδὲν ἀκατάληπτον τῷ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ· ὅθεν οὐδὲ ἀδίδακτον. Ὁ γὰρ δι' ἀγάπην τὴν πρὸς ἡμᾶς παθὼν οὐδὲν ἂν ὑπεϛείλατο εἰς διδασκαλιαν τῆς γνώσεως. Neque vero aliter, quamvis le-

vius, colligebant Iudaei nihil esse genti *ἀδίδακτον* cui Deus quem doctorem dederat, ipse praesens docuerat פנים אל פנים, sermones cum ipso humana veluti comitate serens.

In Aegypto autem praeter *τοὺς κατὰ Μωσῆν φιλοσοφοῦντας*, quos vocat Philo; haud pauci supererant studiosi rerum divinarum Aegyptiis imbuti superstitionibus; quas propterea pretium operae censuit Plutarchus interpretari eruditae, ac religiosae mulieri scribens *περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος*. Sed a Plutarcho ac Philone quum ducimus argumentum, quo duplicem fontem arcanae doctrinae in Aegypto demonstremus, non ideo quia duo isti procul absunt a deliramentis, quae memorantur, Cerinthi, Carpocratis, Valentini, Marcosianorum, etc.; propterea nos oportet dubitare quin vel ante illos Aegyptii satis multi rationem *Γνώσεως* colerent horum finitimam disciplinae. Nam quod illi duumviri, quatenus res patitur, probabiles exstiterint Mystagogi, eorum

id fuit ingenii, sapientiae, gravitatis, elegantiae, eruditionis; quum genus ipsum commentandi, totumque institutum fallax esset, inane, eiusque studiosi plerique omni aevo fuerint inepti, nugaces, absurdi. Facile autem intelligitur non potuisse Evangelio tam cito tantam messem in Aegypto succrescere stultitiae Gnosticae, et impietatis, nisi commenta planissime aliena, quibus adiungendis Christi praedicatio corrumpebatur, iam ibi tum fuissent multorum consona opinionibus et credulitati.

Ac de Ophitis, quorum pars tantum suscepit Iesum, caeteris persistentibus in Iudaismo, eorum historiam qui dedita opera illustravit, Lau. Moshemius, antiquiores Christo asserit diserte (*Institut. Historiae Eccles.* Saec. II part. II c. V §. XIX) et qui error communis est tot Gnosticis Aegypti sectis de Demiurgo, Hebraeorum Deo, non optimo, maximo, cuius obnoxios homines servituti Christus in libertatem susceperit vindicandos, intel-

ligitur a calumnia manasse eorum, qui omnis Aegyptiacae doctrinae interpretes *ἐξηγηταὶ*, *ἱερογραμματεῖς*, חרטמים, causas iam inde a Mose habebant cur Typhonem autumarent Hebraeorum Numen, propter quas David Millius (Dissert. Select. Lugd. Bat. 1743. p. 308-313) Typhonis putat simulacrum vitulum impio illo praeconio Hebraeis propositum, Exo. xxxii. 8, אלה אלהיך ישראל אשר העלוך מארץ מצרים.

Quod autem a Iudaeis praecipue manaverint gnosticae fabulae, patet vel ex appellationibus eorum, de quibus erant ipsae confictae. Neque vero originem dissimulabant, qui formulis uterentur eo sermone conceptis, qui tunc erat Iudaicus, ut de Marcosianis Irenaeus, aliique memorant. Quarum lubet speciminis loco exhibere unam paulo curiosius illustratam, quam viderim quum alibi, tum in Grabiana Irenaei editione Oxonii 1702 p. 90. Vbi quum haud exiguus appareat dissensus librorum, qui sive Latinis literis, si-

ve Graecis formulam produnt, ac post primam vocem *Basyma* Latinus vetus habeat, ut Vossius aliique ediderunt, *eacabasa* pro *χαμοσση*, quod in Graeco est, quem debemus Epiphanio, e duobus elicio *εχ αβα μοσση*; hinc nihil mutatis sequentibus in Graeco quatuordecim literis, addo *μα* explendae voci *μιϛαμα*, quam interpretationes habent quum Graeca, *ὀνομαζόμενον*, tum Latina, *quod vocatur*. Graecum deinceps resumo usque ad *βοφορ* in Latino scriptum *fobor*, quod emendo ex Niceta, qui formulam referens dat *φογορ*; ac tandem in *καλαχθει* syllabam insero *με* ex *camelanthi* Latini veteris; et formula plane probabiliter descripta prodit *βασεμα εχ αβα μοσση βααïα νορα μιϛαμα δια ρουα δακουϛα βαφογορ κα μελαχθει*. hoc est, בשמא היך אבא מצא בחייא נהורא משתמא די הא רוחא דקושטא בפגר כא מלכתי, in qua quum libri veteres admodum discrepent, in literis praesertim, unde voces effectae מצא בחייא, *potentis in vitis*, ut in dubiis tantum aio

dialectum nunquam a Chaldaico-palaestina videri discedere, nisi extremo *jodh*, quod in fine 2.ae pers. fem. praeteriti proprium Syrorum habetur; sed in Hebraicis aliquando etiam usurpatum intelligitur ex Ier. III. 5, Ezech. XVI. 20, 22, 31, 43 bis, 47, 51, etc. Nam משתמא quamquam saepe in Syris, non item in Iudaicis libris reperitur, nihil habet neque origine, nec forma ab horum Chaldaismo alienum; et vox prope finem $\varkappa\alpha$, non $\chi\alpha$, si propterea scribatur קא, erit plane Talmudica. Sententia autem formulae: *In nomine eius qui Potens Vitae perinde ac Pater, lux vocatur; quoniam ecce, o Spiritus veritatis, in corpore regnasti;* vel *in corpore hic regnasti :* satis belle cum interpretatione convenit Irenaei.

Aliter multa Rhenferdius pag. 218-223 *Operum Philolog.* Traiecti 1722. Quo in volumine, Dissert. Ia, IVa, Va, VIa, VIIa, insunt plurima eximia ad cognitionem causae totius de Cabbalae et Γνώσεως antiquitate et coniunctione. Quapropter i-

psum legi velim, quum equidem ad alia properans iam hic tantummodo sim additurus, de Philone quod dictum est ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ φίλων πλατωνίζει, in similitudine quidem cerni multiplici, in primis eloquentiae; neque dubitandum quin multus Philo in lectione Platonis fuerit, et Pythagoricos etiam cognoverit, aliosque Graeciae Philosophos. Nihilo tamen minus patriae Philosophiae, quam secundum Mosen ipse praedicat, semper unice addictum perstitisse. Quod sane patet legenti; nisi quis contra arguat ab eius in multis consensu cum Graecis. Quasi vero his non adeo multa convenirent cum Hebraeis, ut Pythagorici Numenii memoretur celebris vox τί γάρ ἐςι Πλάτων ἢ Μωϋσῆς ἀτ]ικίζων; et vere sit visus Hermippus tradidisse Πυθαγόραν τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰουδαίων ἐις Ἕλληνας ἀγαγεῖν. Caeterum non fortasse praeter rem erit adnotare Philonis doctrinam omnino antiquiorem Christiana praedicatione censendam esse. Ante

Digitized by Google

enim annum Christianum 41, quo est die 24 Ianuarii Caius caesus, ad hunc legationem quum obiret Philo, senex suo ipsius testimonio demonstratur; quippe cui propter aetatem sine arrogantia liceret prudentiorem se ferre sociis eius legationis caeteris quatuor, quum ait, p. 788 c, edit. Colon. Agrip. 1613, *ἐγὼ δὲ φρονεῖν τι δοκῶν περιττότερον καὶ δι' ἡλικίαν καὶ τὴν ἄλλην παιδείαν*. Ipso autem initio narrationis canos memorat suos p. 768, *Ἄχρι τίνος ἡμεῖς οἱ γέροντες ἔτι παῖδές ἐσμεν, τὰ μὲν σώματα χρόνου μήκει πολιοὶ κ. τ. λ.* ubi illud *χρόνου μήκει* de canitie me non sinit cogitare hominis non saltem sexaginta annos nati, atque adeo natalem Philonis ponere post vicesimum ante aeram Christianam, quo, vel proxime sequentibus Diodorus Siculus historiam scripturus Aegyptum diligenter perlustravit.

V.

De absurda alicubi interpretatione vocum משנה, תלמוד, *et* מסרה.

Nunc quod iu mentem venit, postquam de Cabbala disputavi, de caeteris vocalibus, quibus Iudaci, quac se autumant a maioribus accepisse, complectuntur, Misna, Talmude, Masora, pudet propemodum admonere, ubi hae voces occurrunt, significationem ab interprete eligendam, quae conveniat loco. Quis cnim hoc nescit? Passim tamen adco negligitur ut de certis libris ea nomina saepe accipiantur in eorum verbis, qui ante multo diem obierint, quam ii libri sunt conscripti. Memoratus iam nobis est libellus in primis celebris praecipua quaedam Doctorum veterum dicta referens, פרקי אבות, cuius extremo fere capite quinto legimus בן חמש שנים למקרא· בן עשר למשנה· בן שלש עשרה למצות· בן חמש עשרה לתלמוד·. Quid interpretes? Aiunt quinquennes Codici sacro, decenncs Mis-

nae, inde ab anno actatis tertio decimo praeceptis, a decimo quinto studere Talmudi, etc. Atqui ut a Latinorum antiquissimo incipiam, Paulus Fagius in adnotatione proxime praecedenti (Isnae 1541 p. 127) haud pauca memorat de Sapiente, cuius, ut ipse edidit, ea sint verba, cognomento *Ben he he*, eodem *Ben bagh bagh*. Hic autem, vero nomine Iochanàn, parente natus utroque proselyto, Hillelis aetate floruit, et *Sciammai*. Ac de בן הא הא in *Jucasìn* f. 55. a, caetera licet minus affirmentur, aetas plane ostenditur שהיה בזמן הלל, adeoque proximo ante Christum saeculo. Confer Talmud, *Chaghighà* f. 9. b. Hiccine ergo dictitabat, הוא היה אומר, decennes ad Misnam aggredi, quam annos post Christum circiter ducentos edidit R. Iudas?

Neque refert quod de auctore sententiae variant libri; quia nimirum, ut coniicio, finem scriptor fecerat ubi sententiis, quas perhibet Iudae filii Themae, solemnem subdidit precem, יהי רצון וכו', *Ve-*

Digitized by Google

lis Domine Deus noster, Deus patrum nostrorum, Templum restitui cito, vivis nobis, nosque habeto consortes Legis tuae. Additae deinde sunt sententiae Samuelis exigui vel minoris duae, prior, שמואל הקטן אומר בנפול אויבך וכו'· *Samuel parvus dicebat: infortunio inimici ne laeteris .... ne Deus tibi succensens iram avertat ab illo;* altera הוא היה אומר· בן חמש שנים וכו', ipsa eadem, de qua disputamus. Sic certe duo codices mei membranacei, unus Germanicus antiquior, alter a. 262 h. e. Chr. 1502 Ferrariae scriptus manu celebris Rabbini Abrahami פריצול. Quorum ille Germanicus deinde habet תניא, tresque exoticas ברייתן, quarum nihil caeteri; sed R. Abrahamus Samueli subtexit *Ben bagh bagh, Ben he he,* quemadmodum pridem habuisse puto libros nescio quot, in quibus ut quisque animadvertebat priorem Samuelis sententiam, iam exhibitam cap. IV. 19, inutiliter iterari, quidam recte servatis prioribus verbis שמואל הקטן אומר, secundam statim adiunxerunt, omisso exordio, הוא היה

Digitized by Google

אומר; alii socordes cum priore sententia eius etiam omisso exordio ac nomine Samuelis, alteram sunt orsi describere ipsis verbis הוא היה אומר, quae ita iam spectare videantur Iudam ben Themà, cuius sunt, quae praecedunt proxime; alii utroque Samuelis effato praetermisso, preci illi יהי רצון וכו' admoverunt *Ben bagh bagh*. Qua negligentia quum dictum alterum Samuelis plane libro deesset, adscripsit aliquis postmodo in fine capitis, ubi quum ultimus veniat *Ben he he*, huic attributum additamentum est librarii incogitantia.

Haec mihi probabilis visa origo varietatis, qua nunc e tredecim libris meis quinque auctorem sententiae ferunt Hillelis aequalem *Ben he he*, quinque, vere, ut opinor, Samuelem exiguum, (1) tres Iudam ben Themà. Sed quum Samuel initio primi Christiani saeculi floruerit, Ben

(1) Hunc esse Paulum Apostolum autumant quidam, quos Wolfius memorat Biblioth. Hebr. 1. pag. 1119.

Themà initio sequentis, quemcumque mavis, perinde est: dictum nihilominus antiquius libro Misnae consentientem aetati poscit interpretationem. Scio, quae Wolfius paucis complectitur Biblioth. Hebr. T. II. p. 856. Non me fugit potuisse antiquis falso tribui sententias recentiorum. Concedam quidquid quamvis stultum posse a Iudaeo scriptore proficisci. Sed quid haec, ubi absurditas non in verbis Hebraeis inest, sed oritur ab interpretatione? ubi sententia apta aetati, cuius fertur, praestat etiam ipsa per se? Nam quod pertinet ad praecepta, למצות, teneamus haec a Iudaeis iam tum coepta observari exacto aetatis anno decimo tertio. Quae vero puerum spectant natum annos quinque, decem, quindecim, tria verba מקרא, *lectio*, משנה, *repetitio*, חלמוד, *doctrina*, tres quasi gradus optime significant disciplinae; quoniam primum pueri sunt imbuendi literis ac linguae cognitione ad legendi facultatem; tum studio a signis converso ad res, gradus alter, quae sit pre-

Digitized by Google

tium operae ut memoriae infigantur, saepius iterando consequitur; tertius ad Rationem ac Iudicium pergit, ut quaestione quaque disceptata conclusionem assequatur, et veri nominis doctrinam.

Ac de repetitione, משנה, responsum Hillelis referam ad *Bar he he* (Talmud *Caghighà* f. 9. b) אינו דומה השונה פרקו מאה פעמים לשונהו מאה ואחת Buxtorfio interprete, *Non est similis repetens lectionem suam centies ei, qui repetit eam centies et semel;* quamquam quod Buxtorfius discentibus accommodat, Florileg. p. 66, ab Hillele dictum est de pietate, qua praestet, qui saepius preces recitat. Sed nihilominus vis verbi apparet, quae libro Misnae fecit nomen, uti iam monitum in Lexico *Aruch*, ubi illud confertur 1. Reg. XVIII. 34, de Elia et Baalis sacrificulis ויאמר שנו וישנו, tum ex proxima radice שנן illud Deut. VI. 7 ושננתם לבניך.

Atque indidem verius ad mentem eius, qui primus usurpaverit, arbitror explicandum, quod a veteribus traditum ת"ר in

concertationem adducitur in Talmude *Bavà Metzi-à* f. 33. a, העוסקין במקרא מידה ואינה מידה · במשנה מידה ונוטלין עליה שכר· גמרא אין לך מידה גדולה מזו. *Legere bonum quidem, non vero etiam satis est; repetere, semelque percepta iterum iterumque ad mentem revocare ut adhaereant, iam non modo bonum, sed quod iustum operae pretium afferat, et emolumentum; doctrinam autem perfectam disputatione adipisci, momentis omnibus inquirendis, perpendendis, discutiendis, quae ad sententiam pertineant sive firmandam, sive labefactandam, id enimvero bonum est in studiis extremum, summum, maximum*. Ac profecto omne tulerit punctum, qui in triplici hac via atque ratione tota vita ad senectam peracque versetur, ut tripartito tempore, iam legendo plura cognoscere identidem studeat, iam quaecumque usui fore maxime videantur, ne excidant, memoria repetat, iam cogitandi contentione ac disputandi adhibeat ad argumenta iudicii diligentiam et gravitatem. Quod verbis potest praeci-

pi R. Tanchumi ben Chanilaì ad *Avodà zarà* f, 19. b לעולם ישלש אדם שנותיו · שליש במקרא · שליש במשנה · שליש בתלמוד · . Vbi quod tertium est, בתלמוד, non erit praeter rem adnotare in כתנות איר, Excerptis Talmudicis Iacobi ben חביב cum notis variorum Amsteledami primum editis a. 1686, post Berolini 1709, Francofurti ad Oderam 1729 f. 65. b partis 2.ae item legi בתלמוד pro גמרא in verbis codicis *Bavà Metzi-à* a me superius exscriptis uti sunt in Talmude meo Berolinensi; quod idem in priore sententia ex *Pirkè Avòth*, ubi scripsi לתלמוד, uti est in duodecim libris meis, habet לגמרא, tom. IX fere extremo. Quod etiam procul dubio in aliquot aliis libris, si quis conferet, comperietur; et a licentia est multorum in exscribendo; qui quasi fides a librario in Sacro dumtaxat Codice postuletur, in caeteris quod videatur usui fore, nec inserere verentur, quod putent opportunum, nec omittere, quod negligendum, nec mutare, quod iam plerisque minus perspicuum. Non enim co-

gitant homines artis criticae plane incuriosi ac rudes quantum adversus hanc flagitium sit veterum scriptis interpolandis fundamenta ipsa, optimamque rationem evertere cognoscendi cuius quisque liber sit auctoris et aevi. Sed non hic locus est inutilis querimoniae. Igitur ut propositum pergam explicare, aio eruditi interpretis officium esse id quaerere, id exprimere, quod cuiusque effati auctor ipse cogitaverit, quamquam Iudaei Magistri rebus aliis accommodent. Tantum verba Latina possunt optari horum etiam usurpationi opportuna: ut si monitum a Tanchumo dixero, quidquid temporis licet, omni aetate tripertito attribuendum lectioni, repetitioni ad perdiscendum, et disputationi; quum longe potissima omnium lectio sacrarum literarum sit, perdiscenda Iudaicae disciplinae pleraque digesta sint in Misna, Ghemarà constet disputatione doctrinae.

At frustra quaedam ita optaverim Latine significare, e. g. vetus dictum (R. Akibhae, in *Pirkè Abhoth* c. III) מסורת סיג

לתורה, *traditio saepes Legi*. Nam hoc vagum nimis, et obscurum. Perspicuum magis, *Sepes Legi est auctoritas custodum traditionis*, ut primum ac proprie de interpretationibus atque institutis intelligamus Magistrorum auctoritate sancitis, quibus quasi munimento ac septo Lex circumdata sarta tecta habeatur; quippe quibus non modo cautum sedulo est ne quid temere imprudenterve a quoquam fiat minus consentaneum divinis praeceptis, verum etiam ut auctario cautionum observando capiat religio incrementum, ac tanto magis servetur, quod praescripsit ipse Moses. Quo spectabant Synagogae post captivitatem Babylonicam instauratores, אנשי כנסת הגדולה, si quidem illi dictitabant עשו סיג לתורה, h. e., interprete Maimonide, *facite* הגזרות . והתקנות אשר ירחקו האדם מן העבירות, *decreta ac statuta, quae longius abducant homines a transgressionibus*. Sed illa eadem verba etiam poterunt usurpari de sacro Textu, quem tueatur auctoritas custodum traditionis in scholiis ortho-

graphicis Masorae vocabulo peculiariter celebratis; siquidem non omnino vanum est, quod ait Germanus Elias in praefatione sui *Methurghemàn* אחר המעשה אשר עשו בעלי המסורת אי אפשר שנפל או שיפול חלוף או שנוי בשום צד בכל ספרי המקרא:

VI.

De appellatione Musulmanorum.

Neque ad sacras literas, neque ad Hebraicas pertinet, quod iam subtexam, opportunum tamen quum harum coniunctioni cum Arabicis illustrandae, tum excutiendae oscitantiae, quae in interpretatione cernatur nominis etiam nobilioris quam Misna et Masora. Nemo non passim appellat Musulmanos; neque vero non a plurimis est explicatum Arabicum مسلم, *móslem*, vel *muslim*. Sed vertunt vel *integrum, servatum, salvum,* vel *credentem, fidelem,* quum perfectus, incolumis, σεσωσμένος non sit *muslim*^{on}, hebraice מַשְׁלִים. sed *musállam*^{on}, hebr. מְשֻׁלָּם. Credens au-

tem ac fidelis, مؤمن *mûmen*ᵒⁿ, si rem spectes atque usum vocabuli, Mohammedanis idem saue sit ac *mûslem*ᵒⁿ, sed nihil hoc pertineat ad veriverbium. Hoc enim omnino a deditione est, qua devicti impetrant pacem. De his enim usurpatur أسلم, השלים; quum Romani contra *pacare* ad vincentem referant, ut sit subigere. Itaque Sura XLVIII. v. 16 Muhammedani iubentur adversantes religioni suae bello internecivo persequi, nisi venerint in deditionem, تقاتلونهم أو يسلمون, h. e. ad Hebr. analogiam (1), תקוטלום או ישלימו, *cum eis ad interneccionem depugnatote, aut dedant se*. Quam antiquus autem sit hic verbi usus, demonstrat Moses Deut. XX, ubi Hebraeae genti praecipit ut quum ad oppidum aliquod accesserit oppugnatura, invitet primum ad deditionem, quam qui

(1) Analogiam hic intelligo, quam explicat Alberti Schultensii egregia *Clavis mutationis elementorum*, *qua dialecti Linguae Hebraeae ac praesertim Arabica dialectus aliquando ab Hebraea deflectunt*; estque a multis praeterea illustrata.

facerent, vectigales haberentur ac subditi v. 11, אם שלום תענך . . . יהיו לך למס ועבדוך. Sin dedere se civitas nollet v. 12, ואם לא תשלים, Deo, inquit adiuvante expugnatae *mares omnes trucidabis;* והכית את כל זכורה לפי חרב. Gabaon autem, quod השלימה, Ios. x. 4, xi. 19, quamquam non armis impetita, exemplis perterrita deditionem fecisse dici potest, quum eius oratores submissionem profitentes vitam civibus impetrent, Ios. ix. 11, et 15. Sed magis etiam perspicua vis verbi est ii. Sam. x. 19, i. Par. xix. 19, ubi iunguntur השלים, et עבד.

At redeamus ad Muhammedanos. Horum triplex initio genus exstitit; primum eorum, qui Meccae quum vexarentur, atque in metu essent, postquam Muhammedes fuga sibi consuluit, ipsi etiam solum verterunt, ac propterea vocati sunt المهاجرون, *profugi;* secundum eorum, qui Medinae Mohammedem susceperunt suis opibus atque opera adiuvandum, ac tuendum, ideo dicti الأنصار *opitulantes.* De utrisque Maraccius ad Corani Suram ix.

102, pag. 315, ubi tamen cum duodecim electis male mutantur auxiliares الانصار, quorum vel ad primum certamen iam sex supra ducentos et triginta eductos novimus ex Abulfeda, Gagnieri pag. 56, Reiskii, editore Adlero, pag. 79. Tertium eorum genus fuit, qui compulsi armis ad deditionem sunt, insigni praesertim praelio غزاة الفتح, quum, ut verbis utar Abulfaragii p. 164, أسلم أبو سفيان وهو عظيم مكة من تحت السيف, *Meccensium praecipuus Abu-sofianus, ut gladio se subduceret, deditionem fecit*, patuitque patria victori. Quod tertium genus, *dedititiorum* المسلمين, quum in dies cresceret, brevique priora multum numero superaret, iam non id spectando, quod plerique أسلموا من تحت السيف, quod odiosum, sed quod omnes أسلموا في الدين, *religione suscipienda dediderant se*, cuncti Mohammedis asseclae مسلمون vocari sunt coepti. Hinc ipsa religio *deditio* appellata, et quidem auctore laudato ipso Deo, qui Sura v. 4 dixerit رضيت لكم

الاسلام دينا *Mihi complacitum est, ut ea vobis religio, ea vestrum secta sit, quae, Eslâm*^{on}, *deditio vocatur, et est*, ut vim omnem verborum, non numerum exhibeam latine. Atque optime a nobis Italis verti *aleslâmo* poterit *il rendersi a Dio*, qua phrasi noster usus Dantes Parad. x. 55

Cor di mortal non fu mai sì digesto
A divozione, ed a RENDERSI A DIO
Con tutto il suo gradir cotanto presto.

Nam in hac solemni ac peculiari significatione suscipiendae religionis quum أسلم usurpatur, subaudiendum est لله *Deo*, syntaxi ea, qua Sura II. 132 Abrahamus Deo dicenti أسلم, הַשְׁלֵם, *dede te*, respondet أسلمت لربّ العالمين, השלמתי לרבון העולמים, *dedo me Domino huius rerum universitatis*.

VII.

Quis Hebraeorum Propheta Dhu'lcheflo.

Pergamus autem a duplice Hebraeorum atque Arabum fonte derivata miscere. Alibi olim monui, sed quo loco literarum Orientalium studiosi haud facile quaerant, in Taurinensi commentario de libris novis, *Biblioteca dell' anno* M DCC XC III. *volume* III. pag. 276, nomen verum Prophetae, qui cognomento ذى ألكفل *Dhu 'lchifli* memoratur in Corani Suris XXI. 85, et XXXVIII. 48, vel 50, latere in Relandi adnotatione pag. 41 *De Religione Mohammedica*, ubi perhibetur id esse حرفيل *Harfil;* sed additis diacriticis punctis duobus legendum est حزقيل *Hazkil*. Argumentis enim certis ostendi esse Ezechielem, יחזקאל, ܚܙܩܝܐܝܠ; et quum eiusdem libri p. 32 Relandus ex suo Taarich duo referat de *Dhi 'lcheflo*, quod tempore vixerit regis Persici Caicobadi, et quod triginta hominum millia excitarit a mor-

tuis, quamquam quae de Caicobado totaque Caianitarum Dynastia Persae perhibent, omnia sint fabulis incertissima, rationes tamen temporum eas explicavi, quibus Caicobadi vita sit producenda citra annum ante Chr. 595, quo initium fecit Ezechiel vaticinandi. Sed has iam licet omittere, postquam ab amico monitus doctissimo Io. Bern. De Rossi Bibliothecam inspexi Herbelotii, ubi pag. 992 auctor *Leb-Tarichi* laudatur, qui scripserit *Khazkil* Ezechielem vixisse *du tems de Caïcobad premier Roi de Perse de la Dynastie des Caïaniens*.

Ea autem subdit Herbelotus, quae luculenter ostendant itidem a Mohammedanis perhiberi de Ezechiele, quod alterum de *Dhi 'lcheflo* est in Relandi Taarìch, ac fabulae apud ipsos fontem indicat in Corano Sura II. v. 244, الم تر الي الذين خرجوا من ديارهم وهم الوف حذر الموت فقال لهم الله موتوا ثم احياهم. *An eos non es intuitus, quorum millia multa domesticis sedibus egressa metu mortis, mortem*

oppetere iussit Deus, ac vitae deinde restituit? Ad quae licet conferre Maraccium p. 92, ibique videre scriptum حزقيل, plane ut dixi emendandum in codice Relandi. Quod moneo quia Herbelotus quum scribat *Khazkil*, videtur in codice habuisse خزقيل. Sed praeterquam quod etiam in Polyglottis nomen Ezechielis incipit a ح sine puncto, in tabulis Hagi Khalfah Bibliothecae Nanianae illustratae a Simone Assemanio P. II. pag. 98 fere extrema cernes Turcam in codice habuisse حزقيا, qui idem perhiberetur ذى الكفل. Itaque male ibi quidem additum est الملك ab homine, qui quum prae oculis haberet حزقيا, nihil dubitavit quin significaretur Ezechias, sed illud inde lucrifacimus, quod e duabus scripturis, حرفيل, et حزقيا altera invicem alteram corrigente, veram elicimus حزقيل totam a libris.

Caeterum quod millia multa mortuorum Ezechiel ad vitam revocaverit, fabula intelligitur a Iudaeis manasse, qui quod Prophetae visum est in valle plena ossium,

id factum revera arbitrati, solentes commentis nugacibus celebrarunt. Quam in rem provocavi olim ad Kimchianam adnotationem ad Ezech. XXXVII. 16, in Bibliis, quae Rabbinica magna vocitantur. Poteram autem fontem ipsum indicare in Talmude, *Sanhedrìn* f. 92. b, atque addere, qui hauserint, plures. Sed in re perspicua nihil est cur moremur. Illud operae pretium fuit explicare, unde Ezechieli cognomentum *Dhulchéfel*. Opem tulit inscriptus Epiphanii liber Περὶ τῶν Προφητῶν, eius Operum Tom. II. p. 241 (mendose 141) ubi multa de Sepulcro Ezechielis, quod memoratur etiam in Romano Martyrologio ad d. IV Id. April. Ac nomen dat vico *Dhi 'lchéfel*, vel Turcica pronunciatione *Zilkiéfel*, qui non admodum longinquus ab Euphrate Cufam inter et Hellam a Danville in tabula Asiae a. 1751 ponitur ad gradus long. 62. 15'; lat. 32.° 5'. Vnius autem literae similis facili mendo in Nova Buschingi Geographia interprete Iagemanno Tom. XXVI. Venetiis

1778 p. 168 est *Zil-kiesel*, ubi recte additum, religione ibi quum Hebraeorum, tum vero etiam Musulmanorum frequentari sepulcrum, quod perhibent Ezechielis ad amnem *Chobar*, olim Chebar. Quibus illustrandis conferas licet Petrum della Valle *Viaggi* Tom. I. Ven. 1661 pag. 618; tum Beniaminum et Ghedaliam allegatos a Wangenseilo ad Sotam pag. 717–719, editumque ab eo Pethachiam *Exercitatione* IV[a], ubi vide rabbinicas nugas pag. 177–182. Nam nobis utilior, quicumque ille fuerit, suppositus Epiphanius, a quo docemur insigne adeo Prophetae monumentum spelunca duplice contineri, in qua pridem compositi perhiberentur Semus, et Arphaxadus, cuiusque similem speluncam duplicem Abrahamus comparaverit sepeliendae uxori. Nam quum specus ille duplex, in quo Sara est composita, nomen fecerit Macpelae, מכפלה, a cryptis duplicatis, intelligitur eadem plane ratione simile Ezechielis *σϖήλαιον διϖλοῦν* appellatum الكفل, הכפל, atque in-

de ipsum Prophetam בעל הכפל, ذا الكفل, is nimirum, cuius est duplex illud illustre sepulcrum *Alchiflo*. Sed iam vereor ne in re levi sim nimius; quam tamen haud poenitet evicisse. Verendum enim magis est, ne affirmata solide confirmare negligentes, leves ipsi videamur.

VIII.

Nova explicatio verbi אפאיהם.

Alia ratio est quum tute fateris te dubitare. Suspiciones enim interdum iuvat prodere; quum praestet dubitare quam falli. Quare adscribam hic, quod memini me adnotare ad אפאיהם Deut. XXXII. 26. Mihi enim probari nequit abnormis derivatio ac compositio, qua interpretantur *eos angulabo, dispergam*, vel aptius *exscindam, exscinderem*, quod Schultensii est, qui recte caeteros refellit pag. 91 *Animadversionum Philologicarum*. Forma similis τῷ מלכיהם nomen plane indicat plurale cum suffixo; sine quo erit אֲפָאִים simi-

le *τῶ* מלכים. Neque vero abnorme nomen est ponendum eius singulare אֶפֶּא pro אֶפְאֶה a radice פאה, plane ut אֶפַּע Ies. xli. 24, *vipera*, pro אֶפְעֶה a פעה, quod a multis est illustratum, maxime vero a Schultensio, quum alibi, tum ad Anthologiam in calce Grammaticae Arab. Erpenii pag. 420, ubi explicat أفعى; de qua obiter liceat una cum mea interpretatione sententiam afferre *ἀλληγορουμένην* perantiqui vatis Abi-Odaina e Schultensii *Monumentis Vetustioribus Arabiae* pag. 58. 7.

لا تقطعن ذنب الافعي وترسلها
ان كنت شهما فاتبع راسها الذنبا*

Abs te ne caesa mittatur vipera cauda:
Concisum caudae strenuus adde caput.

Sed ad אפא revertamur. Convenit prorsus formae Arabicae أفاء, *af*^{in} pro أفاؤ, أفائى, quod nomen foret collectivum, cuiusmodi vocant plurale fractum formae apud Erpenium duodecimae, ut eius singulare habeatur فاؤ, فائي *fa*^{on}, quemadmodum collectiva habentur أدل *adl*^{in}, אֶדֶל *situlae*,

Digitized by Google

أثد *athdⁱⁿ*, אֶשֶׁד *mammae*, a singularibus دلي, דלי, ثدي, שׁד. Itaque אֶפֶא etymologice collectivum foret *abscissiones, segmina*, atque adeo exercitus partes Gallis *divisions*, vel *détachemens*, vel *alae, cornua*; ita tamen ut usurpari simpliciter possit pro *turma, cohorte*, quin et pro toto exercitu ac copiis, ut cognatum فئة, פאה, Corani II. 254, كم من فئة قليلة غلبت فئة كثيرة *Quot exiguae copiae ingentes devicerunt?* Quare poëtica locutione, quemadmodum Num. XXIV. 17, פאתי מואב sunt Moabitae, ita אַפְאֵי ישראל erunt Israëlitae: ac Deut. XXXII. 26, אמרתי אפאיהם אשביתה, מאנוש זכרם, erit, *Dicebam, quod attinet ad eorum turmas, exstinguam inter homines memoriam eorum;* De Israëlitis decrevissem eorum etiam nomen delere; nisi etc. Digni erant Israëlitae, quorum ne memoria quidem superesset, etc. vel propius ad Hebraicum Italice

Pensai, le schiere lor, nè ricordarle
Vuo' ch' uom pur s'oda. Senonchè i nemici
Temo che nol conoscano, ed alteri

Oltraggiando dien vanto alla lor destra,
Ch'essa, non il Signor fe' tanta prova.

IX.

Coniectura de הבו Hebhù.

Nihil minus dubia suspicio est, qua verbum aliud abnorme mihi videtur oppugnandum, quamquam multis iam telis impetitum ac labefactatum. Id vero est, si superis placet, imperativum הֵבוּ, Oseae IV. 18, de quo vide Io. Bern. De Rossi *Varias Lectiones* Tom. III p. 173, I. Dav. Michaëlis *Supplem. ad Lexica Hebr.* p. 519, Simonis *Lex. Hebr.* Halae 1793 p. 682. Ego vero comma totum perpendens אהבו הבו קלון מגניה, e tribus vocibus, quas plane intelligo, mihi videor certior fieri, quod nequeat secunda non esse nomen feminei generis, amoris obiectum Ephraimitarum praevaricantium, cuius מגנים ὑπερασπιςαὶ, sive satellites, sive cultores, propudiosi essent, turpes, infames, opprobrio omni ac contemtu dignissimi. Quae vero

praecedunt proxime, הזנה הזנו, propter sequentia ויבשו מזבחתם, totumque contextum ad idololatriam spectare nihil dubitans, quamquam non sine scortorum flagitioso consortio, עם הקדשות יזבחו, puto הבו, *Hebhù*, numinis esse nomen, cui colendo studerent Ephraimitae, ea videlicet Israëlis maior pars, quae regibus parebat Samariae. Sed quae fuerit *Hebhù* plane ignoramus, ut pleraque ad religiones pertinentia, quarum se contagione contaminarunt Hebraei.

Neque tamen nihil verisimile de ea dici potest, quum apocope apud Syros maxime solemni fiat הֵבוּ ex הבות, ut סֵבוּ *canities*, pro סבות, eiusdem formae ac גֵרוּת, עֵדוּת, etc. Atque adeo a radice הוב, היב, *hebhù* idem fuerit atque היבה, هيبة *timor, reverentia*, ab هاب, media ي, *timuit, veritus est;* quod quoniam de religiosa formidine usurpatur, optime, ut פחד, ܕܚܠܬܐ, appellari numen potuit *Hebhù;* estque feminei generis nomen aptum Astartae.

Quid vero si iam aevo Oseae dialectus aliqua Syrorum unius literae simplicem edebat sonum, ubi duplicant dialecti caeterae, atque adeo ut ܐܶܒܳܐ *ébo* nunc Syri efferunt, quod Chaldaeis est אִבָּא, *ibbà*, ab אבב, sic הֵבוּ, pro *hibbuth*, *hibbà*, manavit ab הבב, ܗܒܒ? Duae radices הבב, et אבב, ut sono, sic notatione sunt proximae, perinde fere atque *halare*, et *olere* antiquata olescendi significatione, a qua *olus*. Neque *olesco* procul abest ab הבב, *viruit*, *crevit*, *maturuit*, et conveniunt, הבב, هبّ *halavit*, *flavit*, unde Syris ܗܒܒ *habèbh*, *flores produxit*, ܗܒܒܐ *habóbho*, *flos*, cui nomen forsitan est a *flo*, uti *dos* est a *do*. Quare iam ab aliis cum אבב sunt collata ἡβάω, ἥβη, *pubesco*, *pubes*, quamquam literis ἥβη magis conveniat cum ܗܒܐ *hébo*, ab הבב, ac videri possit ab אבב, et Chaldaeo אבא *ibbà*, appellata Ἱπ-πα Bacchi nutrix, venusta puella, sed Proclo interprete τοῦ παντὸς οὖσα ψυχὴ (vide Orphei Hymnum 48, et Fragmentum XLIII, in Gesneri edit. p. 242, et

401, ubi tamen, quasi ab ἵππῳ, adspiratur) a Syriaco autem ܗܒܐ, ܗܒܘ, Hebe, quae eadem alicubi Δία et Γανυμήδα, Romanis Iuventas, iis vero, qui ad rerum naturam religiones referebant, τὸ ἀκάματον καὶ ἀεὶ νεάζον τῶν ϛοιχείων, uxor Herculis, quem quum Phoenices omnes impense colerent, Tyrii autem καθ' ὑπεϐολὴν, Strabone teste, Lib. XVI. edit. 1587, pag. 521, aliquem ipsa etiam in Diis Phoeniciis locum obtinuisse censenda est.

Quod vero fertur in lapsu quum vestes sublevarentur, supina ostendisse pudenda in Deorum convivio, quibus pocula ministrabat, fabulae affine institutum aliquod in eius mysteriis licet suspicari, quo eius simulacri partem Deae cognominem ἥβην, pubem retectam adorantibus patere mystae curarent, ut Phallus passim in aliis sacris ostentabatur. Quae mihi in mentem veniunt, quia explicarent, quae subdit Propheta, צרר רוח אותה בכנפיה ויבשו מזבחתם, *strinxit eam ventus in oris vestis eius* (retexit) *et eos pudet, qui victimas*

obtulerunt; vel *aras ipsas pudet,* si libeat legere מִזִּבְחֹתָם, ut fuit scriptum primitus in codice, quem unum consului et habeo Prophetarum. Neque vero alias inusitatum est מזבחתם pro מזבחתיהם, nec genus repugnat masculinum τοῦ יבשו, quandoquidem Num. XXIII. 1, 4, 14, 29 מזבחת, ut masculini generis, dicuntur שבעה, שבעת. Verum satis fuerit Vati dixisse pudere homines sui sacrificii, quum obscena pubes aperiretur numinis, cui sacrificabant. בכנפיה non de alis, quae vento tribuantur, interpretor, quia suffixum femininum simplicius refertur ad proximum femininum אותה, quam ad minus propinquum commune רוח, ubi hoc, ut masculinum, regit צרר; et elliptice interdum כנף, et כנפים pro כנפי בגדים usurpari certum est. Quamquam ubi eadem plane phrasis occurrit ac nostra Oseae, nimirum Ezechielis v. 3 וצרת אותם בכנפיך, *et stringes eos oris vestis tuae,* sententia plane alia est; nec levis adeo coniecturae postulo interpretationem probare verborum Oseae. Exemplo dum-

taxat habenda est ad coniiciendum quanta lux facile affulgeret, si religionem Idoli nosceremus, quam Ephraimo Vates exprobrat.

Nam de ea ipsa religione si quis obiiciat, verisimile non esse ullum numen exstitisse, quod in Palaestina appellaretur *Hebhù*, quia nemini veterum interpretum nomen innotuit, nusquam alibi legitur; is perpendat quam multiplex iamdiu habitum sit Deorum genus, quanta singulorum *πολυωνυμία*, quam variata locis ac gentibus superstitio, quam perplexa fabulis discrepantibus. icinia Israëlis Divae colebantur mutatis nominibus Iuno, Rhea, Venus, Minerva, Diana, Isis, Europe, Semiramis, in primis vero celeberrima Sydoniorum Astarte, tum Derceto, Atargatis, et, quam eamdem esse negat Salmasius, Dea Syria, tum Athara, vel Asara; et *quot urbes Syriae ac Phoeniciae, totidem numina singulis urbibus data ac dicata* idem Salmasius autumat, quem videsis *Exercit. Plin.* ad Solinum p. 405.

Digitized by Google

Neque tamen plura, quae a quibusdam diversa, non ab aliis eadem putabantur. Atque Hebraei quum עשתרת *Astóreth* vocarent Astartem, videntur Deas omnes gentium finitimarum vocasse עַשְׁתָּרוֹת *Astaròth*, 1. Sam. VII. 4. Hinc plura nomina ab ipsis primum neglecta, deinde oblita, et Hebhù semel usurpatum schematis gratia παρηχήσεως, אהבו הבו, quod Orientalium auribus atque ingeniis longe magis probatur quam nostris.

Brevius se expediunt, qui cum Houbigantio omittunt הבו; quo omisso vocabulo equidem et numero et significationi, quum aurium, tum rationis iudicio, deesse aliquid sentio; ad interpretationem nihil video, quod intersit, quum nunc quidem, et iamdiu ignorabilis sit *Hebhù*, perinde ac vox subintelligenda in phrasi manifeste elliptica אהבו קלון מגניה, *amaverunt, quam propudia tuentur*, quae vilissimis, turpissimisque stipata est sacerdotibus atque cultoribus. At vero illud unice concinnum ac plenum, *haznè hiznù, ahăbhù*

hebhù, vel propius ad pronunciationem Italicam, *hasnè hisnù, ahavù hevù*. Quod ferre nequeunt, qui, quod nesciant, esse aliquid nolunt. Itaque gaudent, quod tres reperti sint libri Mss.; ubi Hebhù non exstet, damnant inspectos caeteros 469. Vincere autem postulant auctoritate veteris interpretationis, *ἠγάπησαν ἀτιμίαν ἐκ φρυάγματος ἀυτῆς*: neque suspicantur, ut id primum obiter moneam, ipsum interpretem scripsisse *ἐκ φράγματος*, quo מגניה explicaret *sepimentum eius*, praesidia, clipeos, stipatores. Id vero aliquis Hebraica nesciens mendosum arbitratus, refinxit adiungens sequentibus 'Εκ *φρυάγματος ἀυτῆς* (vel *ἀυτῶν*) *συστροφὴ πνεύματος*. Sed quod eos fallere non debebat, obvium magis est; nimirum legitima conclusione non argui abfuisse vocabulum a libro, quem prae oculis habuit interpres, quum nihil est in interpretatione, quod id vocabulum repraesentet, si quidem liceat dicere significationem vocabuli fuisse interpreti plane ignotam. Itaque non

magis hic delendum הבו, quam refingendum מטנניו, quo textus cum versione consentiat, *ἠγάπησαν ἀτιμίαν ἐκ φρύγματος αὐτῆς*.

X.

De usu versionum, singillatim τῶν ἑβδομήκοντα.

Eximia profecto utilitas est veterum interpretationum, in primis Alexandrinae, quae habetur *τῶν ό*; earumque multiplex usus sive ad intellectum, sive ad emendationem textus Hebraei, quum ab aliis passim, tum non ita pridem a Io. Frid. Fischero egregie illustratus est Prolusionibus sex *de Versionibus Graecis Librorum V. T. literarum Hebraicarum magistris*. Lipsiae 1772. Sed earumdem cavendus abusus. Cuius mihi videntur causae praecipuae duae, exigua peritia linguarum, et cupidus animus ad amplectendum, quae optabilia potissimum sint. Nam equidem ipse etiam, ac maxime vellem Graecam versio-

nem ad nos pervenisse, qualem oporteret, ut omnibus ac singulis locis per eam, certiores fieri possemus de lectione ac sententia librorum, a quibus ipsa facta est. Sed praeterquamquod eius vetus ac prima scriptura passim est incertior Hebraica; saepe inscitia, saepe iudicio ipsi interpretes recesserunt a verbis aliquot longius quam ut ex versione verba restitui possint. Ac de inscitia nolo dicere. De iudicio proderit animadvertisse de optima ratione interpretandi mirifice homines dissentire, ac non modo universe, quum generatim quaeritur, sed quum singillatim de loco aliquo definite, tantam esse iudiciorum incertitudinem, ut ne ipsi tibi facile idem probetur semper.

Equidem plerumque arbitror studiosius multo exprimendam sententiam, quam verba singula; et contra nimis tenaces verborum exemplo Ciceronis libenter utar, *De Finibus* lib. II. VII, ubi verba se afferre professus Epicuri, Torquatum provocat adversarium ut animadvertat, rectene in-

Digitized by Google

terpretetur; quem postmodo fatentem inducit illis quidem ipsis verbis Epicurum dixisse. Quid autem? Epicuri verba sunt: Ἐι τὰ ποιητικὰ τῶν περὶ τοὺς ἀσώτους ἡδονῶν ἔλυε τὸς φόβους τῆς διανοίας, τούς τε περὶ μετεώρων, καὶ θανάτου, καὶ ἀλγηδόνων, ἔτι τε τὸ πέρας τῶν ἐπιθυμιῶν ἐδίδασκεν ἄν· ὀυκ ἄν ποτε ἔιχομεν ὅ τι μεμψαίμεθα ἀυτοῖς πανταχόθεν ἐισπληρουμένοις τῶν ἡδονῶν, ὡς ὀυδαμόθεν οὔ τε τὸ ἀλγοῦν, ὄυ τε τὸ λυπούμενον ἔχουσιν, ὅπερ ἐςὶ τὸ κακόν. Ciceronis: *Si ea, quae sunt luxuriosis efficientia voluptatum, liberarent eos Deorum, et mortis, et doloris metu, docerentque qui essent fines cupiditatum; nihil haberemus, quod reprehenderemus, quum undique complerentur voluptatibus, nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens, aut aegrum; id est autem malum.*

Sed profani omittendi, quamvis diserti. De Alexandrinis animadverto non omnium librorum interpretes, qui perhi-

bentur οἱ ό, peraeque adhaesisse verbis, sed alium alio liberaliorem planissime cerni, eumque omnium maxime, qui Danielem vertit, primum editus e codice tetraplorum Ghisiano Romae 1772. Nam profecto si Danielem illi τῶν ό suscepissent convertendum, qui Graecos fecerunt Regum libros, aut τῶν Παραλειπομένων, initium haberemus ferme huiusmodi: Ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ τῆς βασιλείας Ἰωακεὶμ βασιλέως Ἰούδα παρεγένετο Ναβουχοδονόσορ βασιλεὺς Βαβυλῶνος ἐπὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐπολιόρκησεν ἐπ' αὐτήν. Vel ἐν τῷ ἔτει τρίτῳ τῆς βασιλείας κ. τ. λ. vel ἐν ἔτει τρίτῳ τοῦ Ἰωακεὶμ κ. τ. λ. Confer II. Par. XV. 10, XXXIV. 8, III. Reg. XV. 25, IV. XII. 1, XVII. 5, XVIII. 9, XXIV. 11. At Danielis interpres: Ἐπὶ βασιλέως Ἰωακεὶμ τῆς Ἰουδαίας ἔτους τρίτου παραγενόμενος Ναβουχοδονόσορ βασιλεὺς Βαβυλῶνος εἰς Ἱερουσαλὴμ ἐπολιόρκει αὐτήν. Neque vero hoc uno primo versu, sed passim toto libro a nimis religiosa vocabu-

Digitized by Google

lorum conversione recedit. Non ille, ut Theodotio, מקצת, v. 2, vertit *ἀπὸ μέρους*, non מזרע המלוכה, v. 3, *ἀπὸ τοῦ σπέρματος τῆς βασιλείας*, sed bene graece, *μέρος τὶ*, atque *ἐκ τοῦ βασιλικοῦ γένους*, etc. Quam longe hoc abit ab illo Gen. III. 15, *ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς, tuam inter eiusque progeniem!*

Vbi quod statim sequitur, *αὐτὸς* pro *αὐτὸ*, exemplum est eius generis, in quo locus fit creberrimus abutendi auctoritate interpretum veterum. Nam in pronominibus maxime inconstans fallit ratio generis, numeri, personae; ac dissentiunt passim codices. Videndum igitur, quid interpres spectaverit, aut is, quicumque ita scribendum censuit, uti legimus. Sed in ipsa interpretatione causa quaerenda. Quid enim? Quia Latinus Arabis interpres in Polyglotta habet, *Et haec findet ex te caput*, dicemusne cum Carpzovio, Criticae Sacrae pag. 658[b], Arabem cum Vulgata pro masculino femininum ponere? Vbi tur-

piter plane se dedit Carpzovius; quandoquidem ipse statim verba Arabica exhibet masculina وهو يشدخ, *et hic diffringet:* unde patet ab alio ea exscribi Carpzovium curasse, ipsum Arabismi ignarum, deceptumque ideo quod causam latini feminei pronominis non in latino quaesiverit contextu. Scilicet qui scripserat *ponam inimicitiam inter te, et inter mulierem, et inter stirpem tuam et stirpem eius,* is recte subdidit, *et haec findet ex te caput,* quia stirps, nunc quidem, de hominum sobole masculine iam non usurpatur.

XI.

Locus Isaiae XVII. 13, *ut editur, vindicatus.*

Habet vero Alexandrina versio multo plus ponderis, atque utilitatis in confirmanda, quam in labefactanda lectione codicum Hebraeorum. Nam dissensus vel quum optime explicatur variata Hebrai-

ea lectione, potuit non inde oriri, sed ab interprete, aut librario sive imprudente, sive etiam prudente; consensus antiquitatem lectionis plane evincit. Quamquam enim Alexandrinam liceat suspicari nos habere multis locis interpolatam ab Origenis recognitione, atque Hexaplis, ea ipsa recognitio longe antiquior est membranis Hebraicis omnibus, quae supersint. Quod si cum Vulgata Hieronymus etiam accedat codicibus Hebraeis plerisque, paucorum contra auctoritas nihili pendenda, ut Isaiae XVII. 12, 13, ubi editiones Romanae, *Vae multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis: et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum. Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium.* *Οὐαί πλῆθος ἐθνῶν πολλῶν· ὡς θάλασσα κυμαίνουσα οὕτω ταραχθήσεσθε· καὶ νῶτος ἐθνῶν πολλῶν ὡς ὕδωρ ἠχήσει. Ὡς ὕδωρ πολὺ ἔθνη πολλὰ, ὡς ὕδατος πολλοῦ βίᾳ φερομένου.* Collatis autem Alexandrino codice et Hieronymo, edit. Mauri-

Digitized by Google

nae tom. I. col. 494, et III. col. 178, apparet a librariis esse aliquam varietatem, ac Hieronymum vertisse: *Vae! Multitudo* etc.; Graecum fortasse: Ὀυαὶ πλῆθος ἐθνῶν πολλῶν· ὡς θάλασσα κυμαίνουσα οὕτω ταραχθήσεται· καὶ κρότος ἐθνῶν πολλῶν ἠχήσει ὡς ὕδωρ πολύ. Ἔθνη πολλὰ ὡς ἦχος ὕδατος πολλοῦ βίᾳ φερομένου, vel καταφερομένου. Nam quod regat ταραχθήσεται, subintelligendum neutrum ἔθνη. Quod vero in libris sequitur, νῶτος ἐθνῶν, *dorsum gentium*, pro שאון לאמים, quis ab interprete profectum credat? Quod scripto proximum mihi in mentem venit, κρότος, etsi plerùmque est plausus, affinem tamen significationem habet θορύβῳ, atque ἤχῳ, neque abhorret a militari strepitu, ac pugna, ἀϋτῇ, βοῇ, ἰαχῇ: unde κροτῆσαι τὴν μάχην Theodoro Prodromo, pag. 201. v. 17, *committere praelium*, et glossa est apud Varinum κροτήσατε ἀλαλάξατε. Quod superest, iam ὡς × ἦχος ὕδατος est in editionibus Oxoniensi, et Tigurina,

Digitized by Google

quae habent *καταφερομένου*. Sed utcumque textum constituendum autumes, apparet ante Hieronymum atque Origenem iam Hebraeos, quae verba sunt extrema versus 12^{mi}, eadem ferme iterasse, uti nunc habentur initio decimi tertii in editis omnibus, atque in manuscriptis fere quotquot collati sunt. Quare quod ea non habeant nunc quinque, aut forsan octo e quadringentis et septuaginta, id enimvero nihil est. Quae autem Lowthus adnotat, *Isaiah. a new Translation .... the second edition. London* 1779. *Notes* p. 107, non satis profecto sunt subtiliter disputata. Nam longe maioris oscitantiae est, quum ultimam vocem scripseris ישאון, *tumultuabuntur*, quinque verba resumere a praecedente non ישאון, sed ושאון, *et tumultuatio*, neque solum non advertere ea modo esse a te scripta, sed aliud cogitantem mutare praeterea vocabulum כבירים in רבים, haec, inquam, longe maioris ac minus credendae sunt oscitantiae, quam aliquem post primo scriptum ישאון, repetitione non

animadversa, a proxime repetito eodem ישאון perrexisse describere. Quare quod etiam ad eiusdem *de Poësi Hebraeorum* editionem alteram pag. 326 adnotatur auctoritas Kennicotti, studium dumtaxat ostendit praeceps ad carpendum Iudaicum textum, nimia superstitione diu ac dudum a plurimis expers habitum omnis mendi. Sed non propterea contra nunc idem leviter est a nobis temerandus. Quod ne cui libeat hoc loco, optime I. B. De Rossi, Var. Lect. Tom. III. p. 21, Kennicotto opponit Doderleinum profitentem hac se repetitione magno affici elegantiae sensu. Quam equidem optavi exprimere vertens metrice:

Heu! qui, quot, quanto turbantque furuntque tumultu,
Ceu pelagus, populi! quot gentes, quamque feroces
Horrifico velut unda strepunt erupta fragore!
Gentes horrifico velut unda fragore strepunt: at

Increpat Omnipotens, illae fugiunt procul omnes.

XII.

Punctum dexterum vindicatur in extrema voce Psalmi LXXXVIII.

Sed me sensus Pulchri admonet, ut alium hic vindicem locum haud paulo spinosiorem Psalmi Hebr. LXXXVIII, ubi in voce ultima מחשך, quum editi libri et Mss. fere omnes habeant puncto dextero שׁ, e collatis Mss. 532 duodecim puncto notant sinitro. Sed leve in scriptura momentum, quum de punctulo ambigitur, quod appositum ab ipso Vate non credimus. Alexandrina interpretatio *ἀπὸ ταλαιπορίας* compositum videtur exhibere מחשך e praefixo *mem*, et חשך, puncto dextero, *obscuritas*, quae translate miseriam significet, ut saepe Chaldaeis est חשוך, חשיך, *pauper*, *egenus*, *tabidus*, *macilentus*. Ab Alexandrina derivant Coptica ⲉⲃⲟⲗ ϩⲁ ⲟⲩ ⲧⲁⲗⲉⲡⲱⲣⲓⲁ̀, et Arabicae, quarum 1.ª a

Iustiniano edita a. 1516, 2.ª a Syris Romae 1614, 3.ª in Polyglottis habent من المسكنة, 4.ª cum Coptica Romae 1749 من الشقاء. Item Aethiopica, quamquam haec suffixum addit *ja*, እምተጽናስየ *emtatsnâsja, prae inopia mea,* ubi nomen חצנשׂ, radix צנשׂ, priore sive ፀ, sive ጸ, ut in Lexico est Ludolfi col. 586, cuius scripturam praetuli Polyglottis.

Aliter, sed ex eadem lectione Chaldaicus Paraphrastes חשיך אנא כפומהון, vel חשוך אנא באפיהון, ut edidit Iustinianus, cuius extremam vocem באפיהון habent etiam Biblia Regia. Praecedit ולידעי, adeoque ad literam vertendum *cognoscentibus me obscurus ego in ore eorum,* vel *coram ipsis;* idest *amici olim mei me ut obscurum egenumque traducunt,* vel *familiaribus vilis sum.* Sed omnium certissimus est pro puncto dextero Symmachus, qui vertit: *καὶ τοὺς γνωστούς μου σκοτασμόν.*

Pro puncto sinistro videntur facere Syrus, qui habet ܘܣܪܚܬ ܐܦܪܫܬ ܡܢܝ, Hieronymus, qui *notos meos abstulisti,*

et Salomo Isacides, qui explicat [1] נחשכתי ונחדלתי מהם. Accedunt nuperi cumplures cum I. Aug. Dathio interpretantes *familiares meos mihi subtraxisti*. At Isacidem vehementer miratur Elias Levita ad radicem חשך Kimchiani Lexici adnotans ותימה גדולה על רש"י שפירש מיודעי מחשך נחשכתי ונחדלתי מהם; et quod ille voluit, erat ab ipso Vate dicendum נחשכתי מהם, quod caeteri, חשכת ממני. Hoc vero, quum proxime legeris הרחקת ממני הוהב, quam facile in mentem venit? At quum idem grammatica subtilitate conaris elicere a מידעי מחשך, tunc haeret aqua. Neque enim ea prodibit sen-

(1) Buxtorſius in Lexico haec verba interpretatus, *Obscuratus sum et desertus a familiaribus meis*, non putavit Isacidem respexisse ad חשך puncto sinistro. Ac revera eodem sensu, qui puncto sinistro exculpitur. *noti mei sunt prohibitio, prohibent se a me, conspectum meum refugientes;* interprete hebraice in primis docto Marco Marino, puncto dextero, *Hebraeis est idiotismus perquam elegans*, noti mei (sunt) obscuritas. *Idest, semetipsos occulunt, latitant, quasi in tenebris se abdentes, ne videantur a me; eos conspicere mihi non licet, ut consolationem aliquam ex illis accipiam*. V. eius Annotationes in Psalmos p. 345.

Digitized by Google

tentia si legas מֵחֲשֹׂךְ:, *a cohibendo, subtrahendo, parcendo;* neque participium si fingas a speciebus, sive coniugationibus inusitatis, prodit phrasis, quae probari hebraice doctis possit. Si vero nomen cudas מַחְשָׂךְ, id quidem, si placet, poterit verti *subtractio;* sed tunc subintelligendum verbum *sunt,* atque ad literam vertendum, *ac noti mei* sunt *subtractio*. Hoc vero cuiquamne teres videri magis ac planum potest, quam *et noti mei* sunt *tenebrae,* quod ex certo, atque usitato vocabulo se se ultro profert? Cuius vis ac pulcritudo non fugisset interpretes, si quid animo concepissent eius flagrantissimi aestus, quo Vates toto psalmo incensis verbis aegritudinem vehementissime exaggerat, ac *τραγῳδεῖ*. Itaque non senserunt quam sit diluta, quam cadat illa in fine *subtractio,* vel deductio, restrictio, *φειδὼ*, qua adiuncta *τῷ* מידעי, parce adeo significatur *amicis careo,* ut non modo proximae sententiae repetitione oratio non crescat, sed in eo desinat, quod omnium minime in

hoc carmine dictum incense ac dolenter sit.

Contra dura visa multis, quae obvia erat interpretatio, *necessarii mei tenebrae,* quia quod ardens maxime est, et altissime cothurnatum, id supra captum est frigidi interpretis. Itaque Aben Esra, Kimchius, aliique putarunt queri Vatem, quod aegrotantem se noti ac necessarii negligerent visitare. O bone Ezrahita Eman, quam frustra moerorem querelis auxisti, trucidatis te aggregans in ima sepulcri nocte iam tellure obrutis et oblivione! Sciunt omnes Hebraeis tenebras significare miseriam quamvis, abiectique hominis ac aerumnosi moerorem, luctum, inopiam, angores, metus, consternationem. Cui vero Deus adeo videatur iratus, ut eum amici, familiares, necessarii spernentes, fastidientes, abominantes destituant, fugiant, nonne in miserrima solitudine is relinquitur tetricis cogitationibus, atris curis, in quarum quasi sodalitate diu noctuque versetur? Quare in maximo ango-

re dum supplex Eman Deum orat, quandoquidem, ait *elongasti a me amicum, et proximum*, mihi iam veluti sepulto, v. 7, בכור תחתיות במחשכים במצלות, consortium unum superest tenebrarum, hae solae circumstant, his sodalibus utar necesse est, has loco habeam familiarium ac necessariorum; quas alloquar, quas adhibebo conscias, testes, participes doloris mei.

Quid enim? nonne Iobus sepulcro ac putredini dixit, pater meus es, mater mea, et soror mea vermibus? Vbi etiam fortasse iuverit animadvertere in Hebraeo singularis numeri nomen esse רמה, *vermis*, qui vocetur mater ac soror. Quamquam hic מחשך singulari numero etiam subtiliter si disputaveris, opportunum agnosces, ubi Vates ab amicis derelictus, obrutus malis, videtur sibi iam quasi in tumulo, iacere in loco tenebricoso, unam circum se proximam habens obscuritatem. Verum enim vero non ad hanc subtilitatem exigenda interpretatio est incensae vocis et stili cothurnati, in quo nullo discrimine

veniant חשך, מחשך, et מחשכים, ut hic modo memorato v. 7, itemque Ps. CXLIII. 3, et Lamen. III. 6 מחשכים, ubi grammatice numerus singularis praestitisset, et Isa. XLII. 16 אשים מחשך לפניהם לאור, ubi חשך. Atque etiam Natura ipsa rerum, quum tenebrae nihil sint nisi locus luce carens, nullum inter מחשך, et חשך discrimen admittit.

Sed quid refello, quae nemo obiiciat, quum praestet videre cur docti quidam viri vocem praetulerint nemini, opinor, auditam Hebraeo, Chaldaeo, Syro, Arabi, *mahsàch, subtractio, prohibitio?* Adscribam igitur quae Dathius adnotat. *Quamquam fortasse non male* (recepta lectio) *defendi possit, si dicatur: divinum vatem conqueri, quod loco amicorum suorum ipsum iam tenebrae circumdent; tamen quoniam codex Casselanus et Regiomontanus pro litera Schin habent Sin, et Syrus inter͗res in hanc lectionem consentit, qui habet* et notos meos ܐܪܚܩܬ removisti a me, *ego quoque hanc lectionem in versione*

expressi, quam video etiam recentioribus interpretibus tantum non omnibus probari. Hoc est aliis verbis: quamquam optime intelligo, ut libri vulgo ferunt, Vatem queri quod sibi amicis orbato una reliqua sit societas tristitiae ac miseriae, tamen quoniam is nuperrimus est mos in literis Hebraicis, adspirandi ad laudem Critices arrepta cupide, quaecumque detur ansa abiiciendae receptae lectionis, libenter duorum codicum abutar menda, et Syri interpretis hariolatione.

XIII.

De Masora, et Pronunciatione.

Prudens abstinui a testimonio Masorae odioso adversariis magis quam gravi. Sed ei quid, quantumque ipse tribuam, nolo hic dissimulare. Fatebor igitur eius esse apud me auctoritatem potiorem fide veterum aliquot membranarum, potiorem suffragio unius aut alterius interpretis; quum nequeat dubitari quin scriptores adnota-

tionum, quibus constat Masora, quicumque ii tandem fuerint, codicibus usi sint antiquioribus, quam qui supersunt, tantaque diligentia ac peritia, quantam huic aut illi amanuensi aut emendatori unius codicis non nisi temere tribuas. Quod autem attinet ad illud omne signorum additamentum, quod Punctorum nomine venit, animadvertendum est Hebraicam dialectum desitam in sermone usurpari longe ante aetatem vetustissimae Versionis Alexandrinae, nullo non tempore quotidie auditam in recitatione ac lectione librorum divinorum, nemine unquam sive in Synagogis, sive in Scholis praelegente, quin eamdem illam ῥῆσιν ipse inde a pueritia multoties audisset legi a maioribus natu; unde quaedam pronunciationis traditio exstitit, deinde Punctis ocius, serius consignata, quae facile intelligitur non ubique immunis ab omni errore potuisse ad nos pervenire; at procul aberat ab ea passim errandi necessitate, qua urgentur interpretes. Nam quae non intelligas, ta-

men recte legere, si ab alio audieris, nihilo minus potes, quam quae tibi planissima sunt. At omnia intelligere in divinis Hebraeorum libris, non hac modo sera nostra aetate, sed vel Ptolemaeorum aevo iam longe supra hominis cuiusvis eruditionem erat positum. De Alexandrinorum autem facultate interpretandi, praesertim quandocumque multa Iordanis levat aura cygnos, vel omnium *λαβρότατον* Iobaei carminis alitem, nolo sententiam dicere. Sed patet quibus locis scriptoris mens interpretem fugit, cui tamen aliquid semper exhibere necesse est, causam hunc habere arripiendi quamcumque cogitationem literae suggerant, quae sint ante oculos, quamquam aliquatenus recedentem a significatione verborum, si legantur ut ipse interpres legi audierit a maioribus: ut adeo quod passim Talmudici ac מקובלים dicis gratia usurpant *Ne legas* . . . אל תקרי, *sed* . . . אלא, id per inscitiam versio iubere haud raro videatur. Vbi repugnant Masorethae nullo alio stu-

dio quam, quod nomine prae se ferunt, traditionis. Quorum adnotata quoniam sunt recepta a gente eiusdem traditionis et participe et pertinacissima, suspecta esse nequeunt, nisi quatenus ipsa traditio antiquitus iam erroribus erat obnoxia.

De quorum causis hic non disseram. Sed de pronunciatione, quam a traditione repeto, nisi paulo subtilius dixero, vereor ut quid mihi videatur, recte satis possit exputari. Nam quum pronunciatio a compositione exsistat elementorum vocis, mutari haec elementa possunt vel voluntate aliud significandi, vel more aliquo atque consuetudine aliter proferendi idem vocabulum. Ac vel quum aliquod elementum vocis mutatur, ut aliud prodeat vocabulum, alia significatio, omnia eadem interdum manent elementa scripturae; ut quum Itali aliter proferimus *ora* si horam volumus significare, aliter si auram, vel orat; Angli aliter ubi de arcu usurpant *bow,* aliter ubi de honoris significatione in salutationibus; Galli aliter *S.t Fran-*

çois, aliter *il est François*. At saepius multo scriptura manet eadem, quum non voluntate dicendi aliud pronunciatio variat, sed alio more dicendi idem. Vix linea occurrit in Italico libro, quae nullo plane sono discrepet recitata uti solet Florentiae, Romae, Neapoli, Panormi, Venetiis, Taurini. Neque vero censendus est Petrus in atrio Caifae verba adhibuisse, quibus vulgo non uterentur Hierosolymitani. Sed quod aliter aliquanto eadem proferret, nimirum ut Galilaei, patriam loquela indicavit, quum, opinor, לא ידענא proferret quasi לא ידאנא, aliaque huiusmodi. In quibus animadvertendum est a pronunciatione ad scripturam saepe discidium progredi, sed rudiorum dumtaxat inscitia; quum doctiores ad exemplum scriptorum aliquot, eorumdem omnes, ea etiam, quae aliter alii efferunt, iisdem plane literis consignent.

Quare duplex quidem ratio est varietatis elementorum vocis ab assuetudine in voluntate idem significandi, quarum alte-

ra in ore tota consistit, in scriptis non conspicienda, altera in scripto vel maxime doctissimi cuiusque cernitur; quandoquidem a proposito est utendi alia sive lingua, sive dialecto. Sed huic rationi quoniam locus nullus fit, quum certus liber legendus simpliciter est, aut eius verba fideliter recitanda, priorem oportet hic unice spectemus, quae varietas quaedam est pronunciationis elementorum eiusdem scripturae. Oritur autem et ipsa, ut plurimum, a diversitate linguae aut dialecti, sed eius, cui adsueveris, non eius, quam tunc velis usurpare.

Credo igitur equidem Iudaeos et in Babylonia, et reduces puerili institutione a maioribus imbutos elementis Hebraicae dialecti, veterem eius pronunciationem expressisse omnes aliquamdiu satis belle. Et quum literis adhuc solis constaret scriptura Divinorum Librorum, in ambigua lectione coeptum a plerisque memoria potius uti, quam iudicii diligentia ad grammaticam atque eruditam interpretandi

subtilitatem. Non quod sero initium factum sit Legis interpretandae subtiliter, acute, atque etiam cavillose. Sed quod cito maiorum auctoritate religiose suscepta, mentis aciem omnem in iuris disceptatione exserentes, a magistri tamen doctrina et sodalium consuetudine in legendo recedere sibi licere non arbitrabantur.

Quare quum deinde signis addititiis Tiberiensium opera, vel cuiuscumque mavis, eliminata omnis legendi ambiguitas a sacris literis est, commentum, quo lectio firmabatur iamdiu ubique usitata, ubique facillime receptum est a Iudaeis, non modo hisce longe plurimis, qui traditionum suspiciunt auctoritatem, verum etiam ab illis paucis, qui easdem caeteroqui contemnunt; neque ulla usquam obtinuit varietas pronunciationis a voluntate aliud significandi. At non propterea nusquam ullius elementi vocis ab assuetudine corruptio facta est: neque idem veteris pronunciationis studium exstitit omnium Synagogarum. In quo laudantur in primis

Digitized by Google

Hispanae; a quibus tamen caeterae haud longe abeunt, si Germanas ac Polonas excipias, quaeque his consentiunt. Quarum equidem rationem pronunciandi magnopere miratus sum, donec subit cogitare unde sit orta. Nimirum iamdiu Iudaei omnes praeter Hebraicam dialectum iisdem literis Chaldaeo-iudaicam, eamque multiplicem opus habent in Scholis iugiter celebrare. Habebant autem dialecti, quas censemus Chaldaicas vel Aramaeas, quum inter se aliquam, tum ingentem ab Hebraica discrepantiam in proferendo, quae literis non discreparent. Neque in promiscua diversarum dialectorum usurpatione, cuiusmodi in Talmude passim cernitur, singularum pronunciatio servari vel a doctissimo grammatico ac diligentissimo potuisset facile; tantum abest ut esset id expectandum a vulgo Rabbinorum grammaticae negligentissimo. Sed plerique nihil propterea in sacro textu Hebraico a vetere pronunciatione recesserunt, Chaldaica potius ad Hebraicam consuetudinem

Digitized by Google

efferentes. Quidam contra, quos Germani sunt secuti, Chaldaicae cuidam, sive Syriacae pronunciationi magis adhaerentes, ad eam aliquatenus Hebraica etiam scripta flexerunt. Nemo autem hactenus, quod sciam, id suspicatus est, quia multa adhuc de Chaldaismo parum accurate a plerisque sunt tradita. Purus perhibetur in sacro Codice, ubi scatet Hebraismis; et legitur a nobis ut a Iudaeis accepimus his, quos modo aiebam hebraice quodammodo legere Chaldaica. Ego et eorum e Iudaeis, qui secus legunt, et Syrorum conferendam arbitror auctoritatem.

Sive Nemrodus a Babylonia venerit in Assyriam, ibique condiderit Ninivem, sive Semi filius Assur cum caeteris omnibus Noachidis particeps Babylonicae aedificationis, inde profectus ad septemtrionem, aedificata Ninive gentis ibi sedem constituerit proximam fratribus Aramo atque Arphaxadi, eorumque liberis ac nepotibus, quorum Casedus, כשד, Abrahami ex fratre nepos Chaldaei nominis fuit forsi-

tan princeps, equidem primos Chaldaeos haud procul a Ninive in Mesopotamia cum Stephano pono, collatis v. 2, et 4 Actorum Capitis VII, et Gen. XXIV. 4, 7, 10 etc. Inde egressos Chaldaeos censeo, qui ad Pontum accolae Chalybum et Colchorum, et qui cum Assyriis invaserunt Babyloniam primitus habitatam a Cusci progenie. Sed haec pluribus disputare nihil opus est; quandoquidem lingua ea, quam vulgo vocitamus Chaldaicam, in sacris literis ubique appellatur Syriaca ארמית, ac nihil hic de nomine laboramus, dummodo intelligatur ad coniecturam de vetere pronunciatione Linguae Chaldaicae permultum inesse momenti in pronunciatione Christianorum Syriacae et Chaldaicae Ecclesiae.

Hi vero quum religione, tum pronunciatione etiam aliquatenus dissident inter se, quum Maronitae et Iacobitae geminare literas negligant universe, et vocalem זקפא efferant *o*, Nestoriani autem et literas geminent, quas Iudaei, et memoratam

modo vocalem appellent *a*, uti nos proferimus longum *kamets*, quod illi respondet in scriptione Iudaeo-chaldaica. Qua in utraque re priscum legendi Syriace morem Nestorianos retinere, licet ipse Maronita, fatetur Assemanus Bibliot. Orient. Tomi III.[1] parte secunda pag. CCCLXXIX. Neque tamen recens omnino, aut contemnenda pronunciatio est *zekophi* per *o*; quippe quae antiquior non esse nequeat octavo Christi saeculo, quo Graecae vocales auctore Theophilo Edesseno sunt coeptae Syriacis literis adscribi. Et probanda vel propterea videtur, quia minus verisimile est Syros, qui adeo accurati in discrimine vocalium essent, ut duplex *a* signo ac nomine discernerent *ptácha* et *zkápha*, nullum tamen habuisse *o*.

Quapropter perinde plane ut *kamèts gadhòl*, quod Buxtorfius autumat, *Thes. Gram. L. S.* lib. I. cap. 2, *zkápha* videtur fuisse *a* obscurum mixtum cum *o*, adeoque multis locis atque in primis in Septemtrionali Palaestina a Iudaeis haud se-

cus atque a Christianis prolatum *o*. Inde pronunciationem Germanos Iudaeos ducere, qui cum Syris itidem *vau cholem* legunt *au*; et quod me movet maxime, vocem ut plurimum in penultima sistunt syllaba eo nisu, quem tonum, accentumque vocamus. Vel praecipuum enim equidem censeo hoc discrimen dialectorum Aramaeae atque Hebraicae, quod syllabam haec libentius ultimam intenderet, illa praecedentem, quam Syri nunc certe accentu attollunt, quandocumque ultima simplex est, adeoque dictio in vocalem desinit. Neque aliter puto veteres consuevisse Chaldaeos, quorum aliter molestissima profecto fuisset eiusdem soni *a* in fine plerorumque nominum iugis per accentum inculcatio. Sed hanc Iudaeis tribuo, qui Chaldaica legere quum instituissent pronunciatione Hebraica, accentu auxerunt finale Chaldaeorum *a* ad consuetudinem Hebraici paragogici.

Neque vero a sententia me deterrent accentus in Daniele, Ezra, Onkeloso etc.

extremis syllabis passim appositi ii, qui quum syllabae illi sint adscribendi, cui tonus incumbit, sedem toni etiam significant. Significant enim ad eorum pronunciandi consuetudinem, qui literis illos adpixerunt, quos credo equidem iam legisse, Dan. II. 35, *cahhadhà parzelà hhaspà nehhascià caspà vedhahabhà*. At non ideo quia ipsi legebant Gen. XXXI. 47 *jeghàr*, vel *jighàr sahadhuthà*, suspicari non licet Labanum pronunciasse *jeghàr sahadhútha*, atque ita quidem ut sonus prope abesset ab *igàr soh-dhútho*, quemadmodum nunc Syrus efferret ac Germanus Iudaeus legit. Quod vero in Novi Foederis libris habemus ἀββᾶ, ταλιθὰ, ταβιθὰ etc., quum accentus non sint ab ipsis divinis Scriptoribus, non magis morari nos debet, quam σαβαχθανὶ Matth. XXVII. 46, Marc. XV. 34 quod Maronitae proferunt *scevaktòn*, Iudaei omnes *scevaktáni*. Literarum nomina ἄλφα, βῆτα Chaldaica sunt, et accentum habent in penultima. Hoc antiquum ac verum puto. Masorethis igitur non ita

adhaereo, ut in omnibus probem; sed traditionis testes leviter non contemno.

Quod vero propius ad pronunciationem attinet universe, nostram etiam firmat codex perantiquus Psalterii triplicis olim Maurinorum Carnutensium, ex quo appendiculam habes ad Canonem Hebraicae versionis in fine primi voluminis Operum S. Hieronymi. Quamvis enim ibi Martianaeus nodum quaerat in scirpo, nemo peritus dubitabit quin vetus scriptor pronunciationem sit conatus exprimere eamdem, quam usurpatam novimus diu post Masoram a Iudaeis Hispanis atque Italis. Sed Rabbinicae eruditionis contemptor Martianaeus non optime ad huiusmodi disceptationes erat instructus.

Digitized by Google

XIV.

De significatione puncti, quo una pluresve literae alicubi notantur superius.

Quem quum memoro, subit quam fuerit inclementer acceptus a I. Clerico passim in Quaestionibus Hieronymianis; quam iratus ipse responderit in Defensione Eruditionis Hieronymianae, tom. III. col. 1138 et sequ., ac vel maxime col. 1192 5, ubi de adnotatione agitur d in extrema columna 523 tomi II.; quae profecto hominem prodit, qui Masoram cognoscere omnino negligens, neque Clavim eius versaverit a Buxtorfio traditam in Tiberiade. Neque enim quisquam non plane ignarus eorum, quae ibi c. XVII. *De literis punctatis* docentur, quum in genere, tum singillatim de ובקומה, Gen. XIX. 33, frustra *plures Mss. codices Hebraeos curiosius* inspexisset, ut aliquid *allineret, quo iuvaretur intelligentia* verborum Hieronymi: *appungunt desuper*.

Digitized by Google

Sed de significatione punctorum eiusmodi praestat dicere quid mihi in mentem venerit. Nam Buxtorfius postquam rabbinica multa protulit, et fontes indicavit, unde plura possunt peti, Hebraeorum scribit caecutire iudicia, sibi historiam Masorae persequenti non fuisse propositum investigare, quid ea puncta denotaverint. Mihi autem universe videntur imposita dictionibus et literis locum obtinentibus minus certum, sive quod extra lineam essent adlita codici, qui describebatur, sive quacumque alia de causa visae cuiquam sint posse melius abesse; quamquam ea mente punctis potuerint insigniri, ut lector intelligeret non ab inscio, aut incogitante ita scriptum, sed iudicio, aut fide, ubi alioqui suspicioni locus esset ac dubietati. Longe autem antiquior critica haec punctorum adnotatio est caeteris Masorethicis, atque adeo una in ipsos inducta rotatiles codices Pentateuchi, qui religiosissime habentur in Synagogis, ac punctis caeteroqui quum careant, habent

Digitized by Google

1.° Gen. XVI. 5 cum puncto וביניֿך, quod alias ubique sine secundo *jodh*, Gen. XIII. 8, XVII. 3, etc. Quare adnotat Isacides כל בינך של מקרא חסר וזה מלא.

2.° Gen. XVIII. 9. אֵלָ֯יו, ubi in libris plerisque quum super *lamedh* exstet *zakeph katòn*, solae reliquae tres literae videntur punctione distinctae. Sed non desunt Mss., qui iuxta *zakeph katòn* tertium punctum habent super *lamedh*, ut in Pentateucho inveni, quem unicum habeo, ac pulcrum profecto, signisque omnigenis diligenter instructum, quo anno scriptum, nescio, sed, puto, diu ante 1505, quo mutavit dominum, ut syngrapha testatur in fine. Omnino autem qui advertat praecedere proxime והוא עמד עליהם, sentiet, si scriptum foret ויאמרו איה שרה אשתך, nequaquam se desideraturum אליו.

3.° Gen. XIX. 33. ובקוּמה, quod deinde sine *vau* ובקמה. Quod si non solum *vau*, sed totam dictionem censeamus adnotatam, ut est in prima editione Pentateuchi a. 1482 וּבְקוּמָה, licebit coniicere ab-

fuiſse a codice, qui tamen in fine v. 36 haberet ובקמה. Viſum autem multo magis adſcribendum in fine v. 33 quod Lotus non ſenſerit, non modo quum accumberet filia maior, ſed neque quum abſcederet, quoniam ſi ſenſiſset, debuiſset cavere in poſterum; quod eum feciſse poſtquam cum minore concubuit, liceret credere.

4.° Gen. xxxiii. 4 וַיִּשָּׁקֵהוּ, ubi ſex puncta grandia atque oblonga in rotatili Pentateucho ipſe conſpexi; unde intelligitur punctum cruri impoſitum *τοῦ scin* in editis quibusdam duplici munere fungi. Videtur autem tota vox in veteri codice ſuperaddita extra lineam fuiſse, unde melius fortaſse poterat inſeri poſt ויחבקהו; quod ſcilicet Eſavus fratrem ſtatim amplexus et oſculatus, poſtmodo capite demiſso cerviei eius impendens aliquamdiu indulſerit lacrimis, Iacobo item lacrimas profundente, ויחבקהו וישקהו ויפל על צואריו ויבכו. Ita certe Alexandrina verſio, ut recte editum Compluti, *καὶ περιλαβὼν*

Digitized by Google

ἀυτὸν ἐφίλησε, καὶ ἔπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον ἀυτοῦ, καὶ ἔκλαυσαν ἀμφότεροι. Consentiunt codex Alexandrinus, et Coptica versio. At Origenes cum Hebraeo conferens, qui וישקהו haberet, ubi nunc est, suo instituto interpolavit καὶ περιλαβὼν ἀυτὸν ÷ ἐφίλησε καὶ " προσέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον ἀυτοῦ ⁜ καὶ κατεφίλησεν ἀυτὸν." καὶ ἔκλαυσαν ἀμφότεροι, ut omissis obelo atque asterisco habet Aldina editio a. 1518. Sed quando ea signa omittebantur, omittendae etiam erant voces obelo confictae, ut in editione Vaticana factum est.

5.° Gen. xxxvii. 12, אֹת. Deerat fortasse in codice, visumque deficere, adeoque inserendum, ut syntaxis observaretur prisci ac Mosaici Hebraismi. Nam quod sine את habetur רעה צאן Gen. iv. 2, etc., iis locis צאן quasi genitivo casu adiungitur nomini רעה *in regimine*, ut loquuntur grammatici, constituto, quod significatur adhibito *tseri* sub ע, quum alias cum *seghol* habeas Gen. xxx. 36 רעה את צאן לבן.

Digitized by Google

6.° Num. III. 39 ואהרן, quod melius abesse, atque expungendum etiam nunc quidam contendunt rationi et codicibus nitentes, ut videre licet in Variis Lect. Io. Bernardi De Rossi vol. II. p. 4.

7.° Num. IX. 10 רחקה, ubi si punctum respicit ultimam tantummodo literam, varietatem significabit exigui momenti; quandoquidem בדרך רחק sive adiective accipias רחוק, quod optime convenit cum דרך saepe item masculini generis, ut Gen. XXVIII. 20, etc., vertasque *propter iter longinquum*, sive genitivo casu interpreteris *iter loci remoti*, sive adverbialiter, ut ὁι ὁ, *ἐν ὁδῷ μακρὰν*, *in via procul*, sententia eadem semper erit, quam exhibet בדרך רחקה. Sed licet suspicari totam vocem esse expungendam. Nam in prima editione Bononiensi 1482 literis singulis punctum est impositum. Ac videri potest additamentum hominis male seduli, qui non intelligeret nihil interesse quam procul quis absit, ubi non venia datur non conficiendi itineris, sed dies altera praestituitur

decima quarta mensis secundi, ad quam debeant advenire, qui volventibus annis adesse non poterint decima quarta mensis primi. Ac videre licet in Talmude פסחים fol. 94 incipiendo a Misna, quae est in media plagula praecedenti, quantum negotii exhibeat illud רחקה Iudaici iuris interpretibus, quorum aliquis satis lepide commentus est puncto, quod conspicitur super ה, quinarium ideo significari, ut quinque cubitus a limine atrii Aedis sanctae intelligantur; atque inde qui absit vel quinque, non amplius, ulnas extremo sacrificii tempore, censendus sit בדרך רחקה. Vide Bartenoram ad Misnam Surenhusii partis 2.ae pag. 168. Sed solus Arabs habet hoc versu في سفر *in itinere*, sine additamento, ut v. 13.° Hebraeus; ubi tamen iterum Graecus addit *μακράν*.

8.° Num. XXI. 30 אשר. Ac legendum אש, ut est in Samaritano, nuperi quidam cum τοῖς ό, Coptoque consentiunt. Vide De Rossi Var. Lect. tom. IV. p. 225.

9.° Num. xxix. 15 ועשרון, ubi punctum quamquam soli ultimae literae imminet etiam in prima editione, procul dubio totum vocabulum respicit, quod potuit, quum a codice semel abesset, videri iterandum ad instar versus 10.[i] huius capitis et v. 13, 21, 29 praecedentis. Ad sententiam autem nihil refert, quum geminatio his locis, ut Gen. xxxii. 17, distributionem significet, non, ut Vulgatus, ac Coptus interpretantur, *decimam decimae*. Syrus atque Arabs sine iteratione habent ܘܡܥܣܪܘܢ ܚܕ ܠܐܡܪܐ ܚܕ, وعشر لكل حمل, *pro unoquoque agno decimam*.

10.° Deut. xxix. 28 לָּנוּ וּלְבָנֵינוּ, ubi plerique punctum etiam imponunt sequenti ע; ac profecto ad ע etiam pertinet, quae ſit quaestio in Ghemarà codicis *Sanhedrìn* f. 43 fere extremo למה נקוד על לנו ולבנינו ועל ע״ן שבעד. Sed Magistros puto ineptis suis ratiunculis indulsisse, ac melius ע puncto carere, ut in laudato meo manuscripto, in prima editione, in Valtoniana, etc. Neque vero qui praestantiores aliquot con-

tulit, Van der Hooghtius in חלוף הקריאה hanc scriptionis varietatem adnotare neglexit. Atque equidem coniicio huius loci rationem fere eamdem esse, quam attuli ad וַיִּשָּׁקֵהוּ; quandoquidem si adscriptae extra lineam forent voces לנו ולבנינו, posset aliquis dubitare sintne inserendae proxime ante לעשות, et quamvis id minus probabile recte iudicaret, censere tamen suae fidei esse dubium qualecumque significare.

Plura in Pentateucho non exstant punctis superius insignita; at sunt quinque in ceteris libris, quorum 1.um II Sam. XIX. 20 יָצָא nescio utrum notatum suspicer, quod sit dubitatum de loco, quum fortasse codex aliquis haberet ביום אשר אדני המלך יצא מירושלם, ut Graeci interpretis editio Romana *ἐν τῇ ἡμέρᾳ ᾗ ὁ κύριός μου ἐξεπορεύετο ἐξ Ἱερουσαλήμ*; an quia verbum, quod scribae incuria forsitan omissum esset, qui supplevit ex coniectura, noluerit suam coniecturam, quamvis probabilem, obtrudere sine annotatione dubietatis.

2.um Isa. XLIV. 9 הֵמָּה in voce est eo magis obnoxia dubitationi, quod, ea si abesset, nemo non probaret וחמודיהם בל יועילו ועדיהם בל יראו וגו׳.

3.um Ezech. XLI. 20 הַהֵיכָל, ubi patet esse dubitatum, quum vox eadem statim iteretur initio versus 21, essetne semel expungenda. Atque etiam nunc non nulli codices Hebraei semel habent, ut semel videntur legisse interpretes Hieronymus ac Syrus, quin et ὁι ὁ, quos sequitur Arabs. Vide Var. Lect. De Rossi vol. III. p. 161.

4.um Ezech. XLVI. 22 מְהֻקְצָעוֹת, quae vox male Hebraea, male in textum irrepsit ex annotatione stulti hominis, qui operae pretium putaret admonere lectorem, quae essent quatuor illa, quae perhibeantur aequalia. Quasi vero *mem* suffixum non satis doceret לארבעתם esse לארבעת מקצועי החצר, de quibus non iamdiu est, quod coepit Vates loqui, sed in versu proxime praecedenti. Quod autem per enallagen licet suffixum referre ad חצרות, ut לארבעתם sit לארבעת החצרים, hoc, si rem

spectes, eodem redit, sed magis respuit additamentum מהקצעות, quod neque Vulgatus, nec alii habent veteres interpretes.

5.um idemque postremum est Ps. XXVII. 13 לולא, quod omissum a veteribus interpretibus quidam etiam nunc expungendum autumant, eoque magis quia etiam in aliquot Hebraeis codicibus deest. Vide Var. Lect. De Rossi, vol. IV. p. 22.

XV.

De Critica, quid verear, exemplo Gen. XXXVIII. 29, 30.

Hic vero cum pluries lectorem ad verba remiserim Io. Bernardi De Rossi, quae non fuisset nimis longum exscribere, non praeter rem arbitror dicere me ideo loca dumtaxat indicasse, quia nemini harum literarum studioso eius libri, aut saltem Variae Lectiones V. T. et Scholia Critica non debent esse ad manus. Exhibent enim instrumentum ac supellectilem non modo luculentissimam, sed omnino necessa-

Digitized by Google

riam ei, qui quandocumque criticam Hebraei textus velit attingere. Ac optimae frugis refertissima item sunt Prolegomena, et quae initio IV.[i] voluminis de ipsius collationis praestantia, utilitate, et usu verissime praedicantur, aut quamvis strictim, disputantur doctissime. Quod vero quaedam ibi legantur, quibus videri possim adversatus, quum alibi, tum non ita pridem, ubi confessus sum apud me non nullam esse Masorae auctoritatem, nemo, quaeso, propterea putet me magnopere dissidere a viro amicissimo, atque harum rerum longe peritiore; sed quid uterque, et quos contra contendamus, advertat. Ipse utilissimos labores adnititur vindicare non magis a contemptu imperitorum, quam a cavillationibus hominum male religiosorum, qui Masoram extollunt, ut Iudaico textui, qui est in manibus aquiescamus inertes. Itaque vires orationis exserit, id praesidium ut proterat sive ignaviae, sive superstitionis. Neque tamen omnem prorsus abnegat Masorae auctori-

tatem. V. Proleg. pag. LV. Ego labores eius facio maximi; eorum, qui editionum consensui fidem obstringunt, superstitionem aspernor, inertiam odi. Sed cum alio ignavorum genere certamen ingressus, qui rabbinica omnia contemni volunt, ut sibi liceat nescire, et ad criticam laudem in literis Hebraicis nihilominus adspirare, ea studeo dicere, quae cupiditatem incendant cognoscendi.

Ac principio adolescentibus cautum volui, ne in ipsis elementis suscipiendis Linguae Hebraicae a pseudocriticis decipiantur: tum tirones, ceterosque non admodum doctos optavi absterrere a temeritate corrumpendi, atque ideo a prurigine emendandi. Quod utrumque meum institutum consentaneum plane est vocibus, ac disciplinae amici doctissimi. Atque in ea ipsa modo a me laudata dissertatione praeliminari vol. 4.i pag. xx legas velim, quae ille monet, utque nonnullorum huius aetatis criticam levitatem, quam insector, mecum ipse videt et dolet. Sed me fortas-

Digitized by Google

se vehementius perculit, quod passim animadverti non cavere homines, ne prima specie statim illiciantur. Ac prima specie ea lectio plerumque videtur optima, quae a correctione librarii est. Cuius rei causam quisque facile intelligit; sed ut exemplo etiam percipiatur, habemus Gen. XXXVIII. 29, 30 bis ויקרא, ubi Samaritanus atque aliquot Hebraici codices exhibent ותקרא. Praecedit autem ותאמר, neque nomen aliquod masculini generis proximum est, a quo regatur *vajjikrà*. Itaque ratio cur Samaritanam lectionem praeferas, occurrit extemplo. Quid ergo? Statim amplectemur? Ego vero contra propterea cunctabor magis. Quo enim ratio probandi magis est obvia, eo facilius movere aliquem potuit, qui scripserit, non quod legisset, sed quod rectum sibi videretur; eo difficilius eadem fugere plerosque potuit, qui secus legerent, quos verisimile non est offendisse, ac non consuluisse alios codices. Itaque circumspectis omnibus etiam atque etiam perpendendum est, rectumne

forsitan sit, quod prima specie non videtur.

Et sane si animum advertas, videbis ותאמר ad obstetricem pertinere, quae geminos exceptura, manum, quam prior unus protulit, coccineo vinculo induit, quo dignosceretur, eum autumans primogenitum, לאמר זה יצא ראשנה. Quare alteri postmodo, qui totus prodire praevertit, *quae tua, inquit, haec eruptio est?* Quid tibi vis istac aemulatione, qua perrumpere iter ante fratrem festinasti? מה פרצת עליך פרץ. Quae verba nunc nihil attinet subtilius interpretari, dummodo intelligantur esse obstetricis; quod satis est ut simul intelligatur propterea quidem puerum vocatum Phares; at nomen pueris quo iure, qua consuetudine obstetrix imposuisset? Qua veri similitudine id ab ipsa factum interpretabimur? Non ergo, etiamsi consentientibus libris omnibus sequeretur ותקרא, verbum censendum esset pendere ac regi ab eodem nomine, a quo ותאמר, sed aliud subintelligendum, nimirum matris, pro-

pter verbi genus femininum. Itaque iam apparet nullam esse causam cur nolis cum libris fere omnibus legere ויקרא, quod ad patrem Hebraei vulgo referunt, atque etiam Christiani plerique; at non literarum Hebraicarum interpretes subtiliores atque elegantiores.

Hi enim iamdiu sciunt hebraice verba activa ubi sine nominativo usurpantur, latinis passivis plerumque verti optime. Quare iam ante annum 1550 recte Castalio v. 29 *Phares appellatus est*, v. 30 *Zara nominatus est*. Neque vero id mônere grammatici neglexerunt, qui Syntaxim explicarunt, Buxtorfius l. II. c. x. pag. 417, Danzius Cap. III. §. 111, et 112, Schroederus Sect. III. Reg. 60. Sed fortasse non satis omnibus persuaserunt, quia qui sibi videntur κριτικώτατοι, plerique grammaticos editis libris cum omni instrumento Punctorum adhaerentes contemnunt; ipsi ad normam linguae Latinae, ac suae cuiusque vulgaris Hebraica exigere nunquam desuescunt. Ergo ipsi in plu-

Digitized by Google

rali quidem, quod sine nominativo saepiuscule occurrit, minus offendunt, quia itidem fere a Latinis usurpantur verba quaedam numero plurium, *aiunt, perhibent,* etc. quamquam eadem omnino ratio est 3.ae personae singularis, nimirum ellipsis pronominis *quidam,* vel participii coniugati, ut qui dicit *perhibent*, perhibentes quicumque sint, omittat memorare, quia tunc saltem nihil intersit. Nam quî magis absurda censebitur ellipsis vel pronominis, vel participii singularis numeri, quam pluralis? Nęque vero etiamsi vocalium additarum omnem respuas auctoritatem, non satis multa sunt reliqua exempla, ac vel maxime ipsius verbi קרא Gen. XI. 9, XVI. 14, XXV. 30, etc. tum aliorum, Gen. II. 20, לא מצא, *οὐχ εὑρέθη*, IX. 6 עשה, *factus est,* etc. Quin idem usus est infinitivi, Exod. IX. 16, למען ספר שמי, *ut celebretur nomen meum*. Et quum alibi, tum loco in primis illustri, Isa. IX. 5, interpretes veteres *vajikrà* verterunt passive *καὶ ἐκλήθη, καὶ καλεῖ-*

ται, καὶ κληθήσεται, et vocabitur. Quamquam equidem puto Aquilam vertisse *καὶ ἐκάλεσε*, sed quod ex Hebraismo sit explicandum tamquam elliptice dictum pro *καὶ ἐκάλεσέ τις αὐτὸν*, quum omnino perspicuum sit Isaiam significare, quibus nominibus appellari dignus puer sit, de quo vaticinatur.

Quod si quis dixerit, quum literae solae a divinis Scriptoribus sint, in Isaia malle se vocales adhibere futuri *τȣ̃* נקרא, etsi non probo, patet peraeque in loco, de quo disputamus, posse legi *vajjikkarè;* et quomodocumque proferas, modo fatearis verti recte posse, *et vocatum est nomen eius Phares . . . Zara,* senties id optime convenire contextui. Nam quamquam verisimile est, quod iuris erat paterni, edixisse Iudam, quo vellet nomine utrumque puerum appellari, hic tamen auctorem nominum nihil intererat diserte significari. Id igitur compendii factum est, ac sine ambiguitate; quia quum nominativum praecedentis verbi ותאמר genere non

conveniat, patet sequentis ויקרא nominativum esse vel omissum, vel שמו; quum contra non sine ambiguitate potuerit scribi post ותאמר obstetrix, ותקרא, non iam obstetrix, sed Thamar.

Atque haec ad iudicium lectionis iam fortasse nimis multa. Ad rationem tamen Critices universae, quam propugno, dicendum adhuc est cur Isaiae IX. 5, ac locis similibus legi nolim *vajjikkarè*. Aio igitur in eo me credere mecum sanos omnes consensuros, quod Puncta ubi ad consuetudinem atque ingenium linguae Hebraicae bene se habent, non sint ad phrasim Latini aut nostri sermonis reformanda. Ex quo intelligitur, qui legit Isa. IX. 5, *vajikkarè*, eum non putare bene hebraice eodem sensu dici nominativo omisso *vajjikrà*. Quapropter vel eius erit inscitia refutanda, vel multis locis non Puncta modo refingenda, sed literae. Quas equidem, tametsi neque ipsas, quaecumque in textu edito sunt, velim haberi sacrosanctas, nolo tamen ad captum reforma-

Digitized by Google

ri hominum, qui male tirocinium posuerunt Linguae Hebraicae.

XVI.

De הוא, *et* נער *olim communis generis, contra Houbigantium.*

Ac profecto in primis Houbigantium putarem data opera mihi refellendum. Sed egregie id praestitit Sebaldus Ravius, cuius Exercitationes Philologicae ad illius Prolegomena editae Lugduni Batav. a. 1785, elegantes oppido ac doctae, specimen exhibent Critices liberalis, eruditae, penitiore linguarum orientalium cognitione instructae, atque adeo maturitatem propemodum iam adeptae. Nam ut ceterae disciplinae, sic Hebraici Codicis critica aetatibus distingui potest. Quae mihi videtur sensim hactenus adolevisse, nunc ad robur accedere iuventutis: ac non in Belgio dumtaxat, sed in Dania, in Suecia, et vel maxime in Germania eos habuisse cultores, atque exornatores,

Digitized by Google

ut nisi bella, conversionesque rerum publicarum studia succrescentis aetatis verterint aliorsum omnia, spes sit maxima nitidiorem eam in dies etiam atque etiam prodituram. Vide vel brevem Io. Gottf. Eichhornii Praefationem ad partem II.am Novae Biblioth. Hebr. Frid. Koecheri, Ienae 1784. Quam omnis superstitionis expers eius ratio est! quam eadem adversa Houbigantianae absurditati!

Nam quid eius iudicium verear absurdum appellare, qui pertenderit nunquam non soloecum fuisse, quod ducenties occurrit in Pentateucho, potius quam assentiri monentibus fuisse הוא aliquando communis generis? Praesertim quum usu, non forma sit היא potius femininum quam הוא. Neque vero, quamquam non usu modo, sed forma est feminei generis נערה, non etiam absurdum est putare soloecum nunquam non fuisse נער de puella, ut usurpari solet in iisdem libris Mosis. Quum enim ne cogitari quidem possit ipsum primum Scriptorem inscitia lapsum vocabu-

Digitized by Google

li adeo triti usu, illum statuas necesse est, ubi de puella erat sermo, scripsisse ubique נערה. Atqui nihilo verisimilius est librarium, qui ante oculos haberet נערה, toties Gen. XXIV. 14, 16, etc., XXXIV. 3, etc. tum vel maxime Deut. XXII, inde a v. 15 toties omisisse ה. Nam quod oscitantiam accuses, praeterquam quod tanta in neminem cadat, quaeram cur in Pentateucho ubique, alibi nusquam in ea voce sit lapsa. Quid vero est cur detrectes credere fuisse נער primitus utriusque generis, ut *παῖς*, et *infans*? Habent certe itidem Hebraei multa nomina communia, epicoena; tum quae ad mulieres pertineant sine ullo additamento desinentiae femininae, אם *mater*, שגל *uxor*, פלגש *concubina*, etc. Atque eiusdem formae, ac נער, bene multa segolata feminei censentur generis, אבן, בטן, חרב, etc. mutatoque similiter *seghol* in *pathach* propter medium ע, נעל, v. Deut. XXIX. 4. Communia autem eiusdem formae sunt פעם. דרך, שמש, etc. Quumque praeter formam sit notatio perpendenda,

Digitized by Google

etsi primigenia vis et significatio nominis נער incomperta est, id tamen si ponamus, quod a vero minime videatur abludere, scilicet a motatione, agitatione, excussione sui, qualis est inquies, ludibunda festivitas puerorum, pullorum, catulorum, נער notare *lusum, παιδιὰν*, intelligemus facile abstractum adhiberi pro concreto potuisse utriusque generis, et vim percipiemus verborum Zachariae xi. 16 הנער לא יבקש, *parvas oviculas non quaeret*, negliget, si quae inconsulto lusu dum persultant pabula, dispersae aberrant.

Iuverit autem etiam quod sorte convenit, adnotare, quondam etiam Latinos Prisciano teste dixisse *hic*, et *haec puer*, ut Livius Andronicus *Sancta puer, Saturni filia*, et Naevius II.° Belli Punici *Cereris Proserpina puer*. Quamquam iidem *pueram* etiam dixerunt; quod utrumque, ut נער de puella, desitum iamdiu est usurpari. Et alia multa aequalium Naevii sunt, ut *luce claro, a socru suo*, quae non ineptus possit auditoribus non gram-

Digitized by Google

maticis recitans, aliter quam in libro scripta conspiciat, ad eorum captum ac consuetudinem pronunciare *luce clara, a socero suo,* quemadmodum postquam נער de puella plane obsoleverat, vel ante captivitatem Babylonicam, quod unice in omni sermone ferebat usus, etiam in recitatione Pentateuchi pronunciari coeptum est נערה; ac semel etiam irrepsit in scriptum, Deut. XXII. 19; in quo facilis intelligitur lapsus non caventis ne scriberet, ut legebat.

Quod idem verisimile est accidisse paucis locis, ubi nunc in Pentateucho scribitur היא, nimirum Gen. XIV. 2, XX. 5, XXXVIII. 25; Lev. XI. 39, XIII. 10, 21, XVI. 31, XXI. 9; Num. V. 13, 14; decies in tribus libris; nunquam in Exodo ac Deuteronomio. Quamquam neque prorsus absurdum est, quod plerique putant, iam aevo Mosis coeptum adhiberi τὸ היא, quum plerumque adhuc utroque genere audiretur היא. Iudaeorum autem in his varietatibus observandis religio apparet quo propior

stultitiae, eo potior ad fidem. Contra Samaritarum textus hoc ipso, quod nihil usquam habet obsoleti, nihil non constanter ad normam exactum sermonis atque scripturae, quae ab homine sequioris aevi censeri quiverit optima, manifestam prodit emendationem eo consilio ac ratione institutam, qua etiam nunc passim utimur in libris recudendis maiorum nostrorum, quum utilitatem ac gratiam intuemur hominum abhorrentium a grammaticis tricis. Quare quaecumque eius sit in rebus maioris momenti auctoritas et fides, in his minutiis ad obliteranda vestigia antiquitatis atque omnis insolentioris scripturae, prorsus nulla est.

Sed iam vereor ne dum ab indocta critica deterrere legentes conor, taedium afferam grammaticae subtilitatis; et satis multa mihi videor disputasse ad propositum obtinendum. Quare nunc certe plura consuere mihi observata non pergam.

217

ADDENDA

Pag. 69 lin. 19

Quod serius animadverti, adnoto editiones aliquot Bibliorum Hebraizantes intrusum habere in Esra apocrypho *Jehovà*, ut Iansoniana mea Amstelodami a. 1648 versionis Tremellii, Iunii et Bezae. Sed textum habent eiusmodi, quem eruditus lector ante etiam, quam contulerit, pervideat non esse ad fidem librorum veterum.

Pag. 109 lin. 15

Inter voces Hebraicas et quid *deest* vertendum esse

Pag. 186 lin. 22

Loco Hebraici paragogici *rescribe* Hebraici feminini, nec non saepe etiam paragogici.

EMENDANDA

Pag.	*lin.*		
19	15	repetitio	*l.* repetito
38	17	sunt	sint
70	2	Non	Nam
96	21	*avdecha*	*avdeva*
127	5, 6	vocalibus	vocabulis
152	11	הבב	אבב

Digitized by Google

005663487

Digitized by Google